

LIBROS
N.T.



Contenta.

1. Georgij Calixtj Commentar. in Quatuor priorum capitulum Geneseos expositio literalis. 2. Historia Iosephj sive XVII posteriorum capitulum Geneseos expositio literalis. 3. Exodj XX priorum capitulum expositio literalis. 4. Lex Dei Mosaica. in classes iuxta Decalogum digesta et una cum Ceremonialibus atq; Judicialibus eo pertinentibus Lexibus exposita. 5. In Prophetis Præmiis. 6. Expositio Oraculi de 70 Hebdomatibz Danielis. 7. de Usuris R. Nylis.
2. Georgij Calixtj Concordia Quatuor Evangelicorum scriptura et locorum etc. Explicatio.
3. Georgij Calixtj Historia Magorum. è cap. 2 Matthæj.
4. In Acta Apostolorum expositio literalis.
5. In Epistolam S. Pauli ad Romanos.
6. In Epistolam S. Pauli ad Corinthios priorem et posteriorem.
7. In Epistolam S. Pauli ad Galatas.
8. In Epistolam S. Pauli ad Ephesios.
9. In Ep. S. P. ad Colosenses.
10. In Ep. S. P. ad Thessalonicenses priorem.
11. In Ep. S. P. ad Philippenses.
12. In Ep. S. P. ad Titum.

Sammelband 26366.

14.

IN EPISTOLA M
SANCTI APOSTOLI PAVLI

AD TITVM

EXPOSITIO LIT=

TERALIS,

IN ACAD. IVLIA, ANNO SVPERIO-
RE, PVBLICE PROPOSITA,
ET NVNC EDITA

à

GEORGIO CALIXTO

S. Theol. D. & Prof. publ.

EDITIO TERTIA.



BRVNSVIGAE.

Typis & sumtibus ANDREÆ DVNCKERI,

ANNO MDCLXVI.

IN PARSIA M
SANCTI APOSTOLI PAULI

AD TITVM

EXPOSITIO LIT

TERIA

IN ACAD. IVLIA. ANNO SVPERIO

RI. PVD. E. PROPOSITA

LITVNE EDITA

GEORGIO CALIXTO

& Theol. D. & Prof. publ.

PRIVILEGIUM



Typis & sumptibus A. W. K. E. D. N. C. E. R. A. L.

ANNO 1714



PLVRIMVM REVDIS STRENVIS, NO-
BILMIS, AMPLMIS ET PRV-
DENTMIS VIRIS,

DOMINIS

DEPV TATIS ORDI-
NVM INCLVTI DVCATVS
BRVNSVIGICI, PROVINCIAE
WOLFENBVTLENSIS.

S. D.

GEORGIVS CALIXTVS.



Vm inter strepi-
tus & fragores bellicos,
quos nobis ob peccata no-
stra iratus Deus immisit, ju-
ventuti academicæ, quæ po-
tuit, prodesse, & ne sine fru-
ctu tempus & sumtum im-
penderet, efficere conor; præter exercitia cætera
cum nonnullas alias Apostoli Pauli epistolas, tum
eam, quæ ad Titum est, interpretabar. Quoniam
autem, ut calamitas publica & temporum infeli-

A 2

citas

citas tulit, pauci erant, qui audirent & exciperent; visum est edere, ut quæ aliter in manus multorum non venerint, plurimum usibus inserviant. Ab hac autem ipsâ ad Titum, quam auctumno superioris anni clō lō c XXVII. publicè enarrabam, initium facere volui vel eam ob causam, quòd ministris ecclesiarum, ad quorum exemplum populi mores ut plurimum conformantur, quomodo se gerere debeant, præscribat; tum quòd reliquos omnes excitet, *ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & justè & piè vivamus in presente seculo.* Quamquam enim vitæ in melius mutationem semper oportet meditari; si tamen unquam aliàs, maximè cordi sit hoc tempore; quo propter inolita & frequentia delicta vindictam divinam cervicibus nostris incumbere experimur. Id verò operam dedi, ut quid Apostolus sibi velit, sive quis sensus, ut loqui solemus, litteralis sit, planum faciam. Hac fini paraphrasin plerumque adhibeo, ubi paraphrasi omnia adsequutus mihi non videor, plura quæ textui vel illustrando vel à depravationibus adserendo faciant, adjicio. Ipsa verò textus verba ita dispono, & characteribus distinguo, ut integra sive Expositioni inserta con-

nexa-

nexaque, sive seorsim legi possint. Qui interpre-
tandi modus etiamsi forte non nemini insolens vi-
deri queat, commodus tamen erit, ut spero, & le-
ctorem expeditè, quò desiderat, perducet. Si
specimen non displicuisse animadvertero, adnitar,
ut plures Apostolicæ epistolæ, eodem modo ex-
positæ, usibus academicæ juventutis donentur.
Quod meum studium, PLVRIMVM-REVERENDI,
STRENVVI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET PRVDEN-
TISSIMI VIRI, ut gratum habere, meque porrò fa-
vore vestro prosequi non dedignemini, etiam at-
que etiam vos oro. Deus propicio numine adsit
vobis & consiliis vestris, ut ærumnis, quibus
hactenus oppressi gemimus, remedium invenia-
tis. Vovebam in acad. Iuliâ: VI. Kal. Ianua-
rias, finiente anno CLV CXXIX; cum
quo bella & bellorum pedissequas calamitates fi-
niri, & cum novo pacem & tranquillitatem no-
vam exoriri jubeat, faciat pacis auctor, Deus opt,
max. Valete.

Α 3

ΗΠΡΟΣ



Η ΠΡΟΣ ΤΙΤΟΝ ΕΡΙΣΤΟ-
ΑΗ ΠΑΥΛΟΥ.

ΚΕΦΑΛ. Α.

1. **Π**ΑΥΛΟΣ ΔΟΥΛΟΣ ΘΕΟΥ, ΣΠΟΥΛΙΟΥ ΔΕ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙ-
ΣΤΟΥ ΚΑΤΑ ΠΙΣΤΙΝ ΕΚΛΕΚΤΩΝ ΘΕΟΥ, ΚΑΙ ΕΠΙΓΝΩΣΙΝ ΑΛΗ-
ΘΕΙΑΣ ΤΗΣ ΚΑΤ' ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ, ΕΠ' ΕΛΠΙΔΙ ΖΩΗΣ ΑΙΩ-
ΝΙΑΣ, ΙΩ ΕΠΗΓΓΕΙΛΑΤΟ Ο ΑΨΕΥΔΗΣ ΘΕΟΣ ΠΡΟΣ ΧΡΕ-
ΣΤΩΝ ΑΙΩΝΙΩΝ, ΕΦΑΝΕΡΩΣΕ ΔΕ ΚΑΙΡΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΤΟΝ ΛΟ-
ΓΟΝ ΑΥΤΟΥ, ΟΤΙ ΚΗΡΥΓΜΑΤΙ Ο ΕΠΙΣΤΕΥΣΗΛΙ ΕΓΩ ΚΑΤ'
 2. ΕΠΙΤΑΓΗ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΥ ΗΜΩΝ ΘΕΟΥ, ΤΙΤΩ ΓΝΗΣΙΩ ΤΕΚΝΩ ΚΑΙ ΚΟΙΝΩ ΠΙΣΤΙΝ.
 3. ΧΑΡΙΣ, ΕΛΕΟΣ, ΕΙΡΜΗΝ ΣΠΟ ΘΕΟΥ ΠΑΤΡΟΣ, ΚΑΙ ΚΥΡΙΑΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ΤΟΥ ΣΩ-
 4. ΤΗΡΟΥ ΗΜΩΝ. ΤΟΥΤΟ ΧΑΡΙΝ ΚΑΤΕΛΙΠΟΝ ΣΕ ΟΤΙ ΚΡΗΤΗ, ΙΝΑ ΤΑ ΛΕΙΠΟΝΤΑ
 5. ΕΠΙΔΙΟΡΘΩΣΗ, ΚΑΙ ΚΑΤΑΘΗΣΗΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥΣ, ΩΣ ΕΓΩ ΣΟΙ
 6. ΔΙΕΤΑΞΑΜΗΝ. ΕΙ ΠΙΣ ΕΣΤΙΝ ΑΝΕΓΚΛΗΤΟΥ, ΜΙΑΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΝΗΡ, ΤΕΚΝΟΝ
 7. ΕΧΩΝ ΠΙΣΤΑ, ΜΗ ΟΤΙ ΚΑΤΗΡΘΕΙΑ ΑΣΩΤΙΑΣ, Η ΑΝΥΠΟΤΑΚΤΑ. ΔΕΙ ΓΑΡ ΤΟΝ ΕΠΙ-
 8. ΣΚΟΠΟΝ ΑΝΕΓΚΛΗΤΟΝ ΕΙΝΑΙ, ΩΣ ΘΕΟΥ ΟΙΚΟΝΟΜΟΝ, ΜΗ ΑΥΤΑΔΗ, ΜΗ ΟΡΓΙΛΟΝ. ΜΗ ΠΑ-
 9. ΡΟΙΝΟΝ, ΜΗ ΠΛΗΚΤΗΝ, ΜΗ ΑΙΣΧΡΟΚΕΡΔΗ. ΑΛΛΑ ΦΙΛΟΞΕΝΟΝ, ΦΙΛΑΓΑΘΟΝ, ΣΩΦΡΟ-
 10. ΝΑ, ΔΙΚΑΙΟΝ, ΟΣΙΟΝ, ΕΥΚΡΑΤΗ, ΑΝΤΕΧΩΜΟΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΔΙΔΑΧΗΝ ΠΙΣΤΕΩΣ ΛΟΓΟΝ,
 11. ΙΝΑ ΔΥΝΑΤΟΣ Η ΚΑΙ ΕΚΔΗΛΩΣΑΙ ΟΤΙ ΤΗ ΔΙΔΑΧΑΛΙΑ ΤΗ ΥΓΑΙΝΗΣΗ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΝ-
 12. ΠΛΕΡΟΝΤΑΣ ΕΛΕΓΧΗ. ΕΙΣΙ ΓΑΡ ΠΟΛΛΟΙ ΚΑΙ ΑΝΥΠΟΤΑΚΤΟΙ, ΜΑΤΑΙΟΛΟΓΟΙ ΚΑΙ ΦΡΕ-
 13. ΝΑΠΑΤΑΙ, ΜΑΛΙΣΤΑ ΟΙ ΕΚ ΠΕΡΙΤΟΜΗΣ, ΟΥΣ ΔΕΙ ΕΠΙΣΟΜΙΖΕΙΝ, ΟΙΤΙΝΕΣ ΟΛΕΘΕ-
 14. ΟΙΚΕΣ ΑΝΑΤΡΕΠΟΥΣΙ, ΔΙΔΑΣΚΟΝΤΕΣ Α ΜΗ ΔΕΙ, ΑΙΣΧΡΕΩΣ ΚΕΡΔΕΣ ΧΑΙΡΕΙΝ. ΕΙΠΕ
 15. ΠΙΣ ΕΞ ΑΥΤΩΝ ΙΔΙΟΥ ΑΥΤΩΝ ΠΡΟΦΗΤΗΣ, ΚΡΗΤΕΣ ΔΕΙ ΨΕΥΣΤΑΙ, ΚΑΚΑΓΗΕΙΑ,
 16. ΓΑΤΕΡΕΣ ΑΡΓΑΙ. Η ΜΑΡΤΥΡΕΙΑ ΑΥΤΗ ΕΣΤΙΝ ΑΛΗΘΗΣ. ΔΙ ΙΩ ΑΙΤΙΑΝ ΕΛΕΓΧΕ
 17. ΑΥΤΟΥΣ ΣΠΟΤΟΜΩΣ, ΙΝΑ ΥΓΑΙΝΩΣΙΝ ΟΤΙ ΤΗ ΠΙΣΤΕΙ, ΜΗ ΠΡΟΣΕΧΟΝΤΕΣ ΙΣΘΑΙ-
 18. ΚΟΙΣ ΜΥΘΟΙΣ, ΚΑΙ ΕΝΤΟΛΑΙΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΣΠΟΠΡΕΦΟΜΕΝΩΝ ΤΩ ΑΛΗΘΕΙΑΝ.
 19. ΠΑΝΤΑ ΜΕΝ ΚΑΘΑΡΑ ΤΟΙΣ ΚΑΘΑΡΟΙΣ. ΤΟΙΣ ΔΕ ΜΕΜΙΑΣΜΕΝΟΙΣ ΚΑΙ ΑΠΙΣΤΟΙΣ ΕΔΕΙΝ
 20. ΚΑΘΑ-

ΣΟΙΝΗ Ε Α

καθαρόν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νόσος καὶ συνείδησις. Θεὸν ὁμολογῶ-
σιν εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνύνται, βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, καὶ
πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι.

16.

Κ Ε Φ Α Λ Β.



Υ δὲ λάλει ἀπρέπει τῇ ὑγιαίνουσῃ διδασκαλίᾳ. Πρεσ-
βύτες νηφαλίς εἶναι, σεμνὸς, σώφρονας, ὑγιαίνοντας
τῇ πίστει τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ. Πρεσβύτεας
ἀσαύτως ἐν καταστάματι ἱεροπρεπεῖς, μὴ διαβόλους,
μὴ οἶνω πολλῷ δεδωλωμένους, καλοδιδασκάλους, ἵνα
σωφρονίζωσι τὰς νέας, φιλόδρους εἶναι, φιλοτέκνους,
Σώφρονας, ἀγνάς, οἰκτρούς, ἀγαθὰς, ὑποτασσόμενας τοῖς ἰδίοις ἀν-
δράσιν, ἵνα μὴ ὀλόγησῃ Θεὸς βλασφημηῖται. Τὸς νεωτέρους ἀσαύ-
τως ὑποκαλεῖ σωφρονεῖν, Περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τὸν
καλῶν ἔργων ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, ἀδιαφοροῦσαι, σεμνότητα, ἀφθαρ-
σία, Δόξον ὑγῆ, ἀκατάγνωστον, ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῆ, μηδὲν
ἔχον θεϊκῶν λέγειν φαῦλον. Δέχου ἰδίοις δεωτόταις ὑποτάσσου,
ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, μὴ ἀντιλέγοντας, Μὴ νοσηζόμενους, ἀλλὰ πι-
στιν ἵνα ἐνδείκνυμένους ἀγαθῶν, ἵνα τὴν διδασκαλίαν ἡ σωτηρίας ἡμῶν
Θεὸς κοσμήσιν ἐν πᾶσιν. Επεφάνη γὰρ χάρις Θεοῦ ἡ σωτηρίας ἡμῶν
ἐν ἀνθρώποις, Παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς
κοσμητικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ
νῦν αἰῶνι, Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς
δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτηρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐδωκεν ἑαυτὸν
ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσεται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθάρσιν
ἑαυτῶ λαὸν ἑαυτοῦ, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Ταῦτα λάλει, καὶ ὑποκα-
λεῖται, καὶ ἐλέγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. μηδεὶς σε περιφρονεῖτω.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

Κ Ε Φ Α Λ Γ.



Πομίμησκε αὐτὸς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσε-
σθαι, πειθαρχεῖν, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐποίμου
εἶναι, Μηδένα βλασφημεῖν, ἀμάχους εἶναι, ἐπεικεῖς,
πᾶσαν ἐνδείκνυμένους πραότητά πρὸς πάντας ἀνθρώ-
πους. Ἡμεῖς γὰρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι, ἀπειθεῖς,
πλανώ-

1.

2.

3.

4. πλαιώμενοι, δαλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, ἐπιχαίροντες
 5. καὶ φθόνῳ ἀφρόντες, συγκοίτοι, μισοῦντες ἀλλήλους. Ὅτε δὲ ἡ χριστιανότης,
 6. καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη ἔσωσθη ἡμῶν Θεῶ, Οὐκ ἐξ ἔργων
 7. τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ χάριτι τὸν αὐτῶν ἔλεον
 8. ἔσωσεν ἡμᾶς, ἀφ' ἧς παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματός
 9. ἁγίου, Οὐ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλοσίως, ἀφ' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔσωσθη
 10. ἡμῶν. Ἴνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι, κληρονόμοι γενώμεθα κατ'
 11. ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίας. Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ τῶν βέλτομαί σε ἀφ' ἑ-
 12. βαίεσθαι, ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων περὶ τὰς οἰκουμενικὰς
 13. τῶ Θεῶ. ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις. Μωροὶ δὲ
 14. ζητήσεις καὶ γενεαλογίας καὶ ἔρεις καὶ μάχας νομικὰς περὶ τὰς
 15. ἀνωφελῆς καὶ μάταιοι. Αἰρετικὸν ἀνθρώπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νε-
 16. θεσίαν ὄραται, Εἰδὼς ὅτι ἐξέγραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἀμαρτάνει ὧν
 17. αὐτοκατάκειται. Ὅταν πέμψω Ἀρτεμῖαν πρὸς σε ἢ Τυχικόν, ἀπέ-
 18. δασον ἐλθεῖν πρὸς με εἰς Νικόπολιν· ἐκεῖ γὰρ κέκεικα ὄραται
 19. σαί. Ζῆσαν τὸν νομικὸν καὶ Ἀπολλῶ ἀποδοχίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν
 20. αὐτοῖς λείπη. Μαιφανεύωσαί δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων περὶ τὰς
 21. εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἀκαρποὶ. Ἀσπάζονται σε
 22. οἱ μετ' ἐμοῦ πάντες, ἀσπασαμένους φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πί-
 23. στει, ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ἀμιάν.





עמי עשו

IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI PAVLI
AD TITVM
EXPOSITIO LITE-
RALIS.

PRO O E M I V M E T A R G V -
M E N T V M.

Titus natione Græcus sive gentilis, (*Gal. 2.3.*) socius Apostoli Pauli, & apud Corinthios, sive in ecclesiâ Corinthiacâ docendâ & moderandâ adjutor, *2. Cor. 8, 23*; ad ipsam aliquando à Paulo, ut eleemosynas, in usus egentium in Iudæâ fidelium, colligeret, missus [*ib. v. 6.*] & in eâ epistolâ sæpiculè nominatus; *erat fortassè Corinthius*, ait Chrysostronus homiliâ in hanc epistolam primâ. Idem, quum Paulus alterâ vice post suam conversionem Ierosoly mam adscenderet, unâ cum Barnaba comes ei fuit, & quamvis Græcus esset, non tamen coactus est circumcidi, *Gal. 2,3.* Quum autem Paulus in Cretâ (quæ è regione Peloponesi orientem versus sita, medio inter Europam & Asiam loco, neq; multum remotiore ab Africâ, hodie Candia dicitur, & Venetorum dominio paret) ecclesiam fundasset, & properè aliò se contulisset, Titum in insula reliquit, qui opus incoatum porrò urgeret & perficeret. Vero simile est id contigisse, quando Epheso in Macedoniam, & hinc in Græciam, cui vicina Creta est, profectus tres ibi menses Apostolus egit, *Act. 20.3.* Iubet hujus epistolæ capite tertio, versu duodecimo,

B

Titum

Geogr. lib.
3. cap 1. 1.

2 PROOEMIUM ET ARGUMENTUM IN

Titum ad se venire Nicopolin, ubi decreverit hyemare. Nicopolis à Ptolemæo in Thraciâ duplex ponitur, una ad Hæmum montem, altera ad Nessum fluvium; & hæc ipsa posterior admodum vicina Philippis, unde exactâ hyeme post dies azymorum, sive post pascha in Syriam Paulus enavigavit, *Act. 20, 6.* Sicut enim eo ex loco discimus, è Græciâ in Syriam profecturus propter Iudæorum insidias per Macedoniam reversus est, & ineunte vere Philippis enavigavit. Certum quidem est, paullò ante scriptam epistolam, Apostolum in Cretâ fuisse, ecclesiam ibi fundasse & ejus operis proseguendi partes Tito in insulâ relicto demandasse; de his enim omnibus ex ipsâ constat epistolâ. Verosimile autem est, eam ab Apostolo ad hyemandum Nicopoli è Græciâ per Macedoniam, sicut in Actis narratur, reverso scriptam fuisse. Quod enim appendix, quam veteres interpretes Syrus & Latinus non agnoscunt, addit scriptam e Nicopoli Macedoniae, pugnat cum allegato versu capitis tertij, quo dicit Apostolus, *Decrevi illic hyemare;* non dicit *ἐν τῷ ὄρει, hic,* sed dicit *ἐκεῖ, illic.* Non igitur Nicopoli, quum scriberet, erat, sed Nicopolin cogitabat vel tendebat. Nihilominus Hieronymus prooemio in hanc epistolam Nicopoli eam scriptam dicit, & quidem Nicopoli, quæ in Actiaco littore sita. Est sanè Nicopolis in Epiro, sita ad ostium sinus Ambracij in littore Actiaco. Vide Ptolemæum *Geogr. l. 3. c. 14,* & Plinium *l. 4. c. 1.* Strabo libro 7. docet Ambraciam ceterasq; vicinas urbes assiduis bellis confectas in unam Nicopolin ab Augusto Cæsare contractas fuisse; *nomèn, inquit, à victoriâ indidit, quâ potitus est de victo ad fauces sinus navali pugná Antonio & Cleopatrá A Egypti reginâ.* Eadem tradit Dio Cassius libro 51. Nicopolin Macedoniae vocat appendix, cujus mentionem modò faciebamus, Epirum cum Macedonia, quas accurati tamen Geographi distinguunt, confundens: vel intelligens Nicopolin Thraciæ, viciniss-

nissimam Macedoniæ, quæ etiam, ut Strabo docet, nonnulli ea, quæ à Strymonè ad Nessum usque sunt, Macedoniæ attribuant. Cæterùm non patiuntur illa, quæ adduximus lib. 7. epistolæ verba, sentire ipsam Nicopoli scriptam fuisse, & cum Theodoreto & Chrystomo Nicopolin Thraciæ, quam cum Hieronymo Nicopolin Epiri accipi convenientius est historiæ itineris Apostolici, quam ex Actorum vigesimo capite commemorabamus. Theodoreti verba digna adscribi: *Nicopolis, ait, urbs est Thracia finitima Maceonia. Liqueat igitur eo tempore, quo in Macedoniâ & Achaiâ Paulus versatus est, epistolam scripsisse.* Hæc cum nostrâ sententiâ congruunt. hom. 6. Scripsit videlicet eam liber & ante sua vincula, atque adeo ante posteriorem ad Timotheum, ut benè observat Chrystomus. *Nam quod ait, Decreui Nicopoli hyemare, certum argumentum est, quòd in vincula nondum fuerit conjectus. Illic autem (in posteriore ad Timotheum) vincitum se adsidue vocat.* Ita rectè Chrystomus. Cæsar Baronius scriptam asserit anno Christi quinquagesimo octavo: sed annus scriptio- nis sine dubio incertior, quàm ut exactè possit definiri. Et disquisitiones de loco & tempore scriptarum epistolarum, quamvis peritiam arguant, & sæpe usu non careant, interdum tamen perplexiores sunt, & intricatiores, quàm ut citra ambiguitatem certis demonstrationibus queant terminari. Ad argumentum igitur epistolæ brevibus indicandum accedamus.

Paulus Apostolus Titum discipulum & socium suum in Cretâ, uti diximus, ad perficiendam recens inibi collectam ecclesiam relictum monet, ut ei operi invigilet, & oppidatim presbyteros constituat; atque eâ occasione, qualis presbyter sive episcopus esse debeat, docet, & inter cætera requirit, ut vaniloquis os valeat obstruere, iisque qui in ecclesiam fabulas Iudaicas, & traditiones humanas invehant,

4 PROOEMIUM ET ARGUMENTUM

capite primo. His enim facessere iussis inculcanda esse singularum ætatum & ordinum officia & exercitia verè Christiana, ut omnes piè & justè vivant, quo etiam sine Christus nos redemerit, *capite secundo.* Post officia singulis in specie assignata, *tertio capite* in genere omnes jubet obædire magistratibus, & à vitijs cavere, quibus olim quidem fuerint obnoxij: nunc autem è pristino statu per Dei misericordiam ereptis renatisque & renovatis incumbere, ut bene agendo illustres conspicua pietatis exemplaria sese præbeant. Quæstiones & contentiones, quæ huc nihil faciant, cohibendas esse, & hæreticos rejiciendos.

Vt hoc quoque addamus, antiquæ Cretæ descriptionem, qui volet, videat apud Diodorum Siculum, libro quinto num. 64. & seqq. Stabonem lib. 10. & Plinium lib. 4, c. 12. Homerus Iliad. β Κρήτιω ἑκατόμπολιω vocat. Virgilius quoque Aeneidos tertio:

v. 646.
v. 104.

*Cræta Iovis magni medio jacet insula ponto;
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.*

v. 272.

At idem Homerus Odyss. T.

Κρήτη τις γαί, ἐπὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
Καλὴ καὶ πύργα, εὐέρριτθ'. ἐνδ' ἀνθρώποι
Πολλοὶ ἀπειρέσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόλεις.

*Cræta jacet quadam circumdata ab æquore terra,
Quæ pulchra & pinguis gleba, circumflua, multos
Innumerosq; homines & nonaginta habet urbes.*

Strabo ita conciliat, quòd in Odyssæâ Vlysses verba faciat, cujus & Trojani belli tempore Cræta non nisi nonaginta urbes habuerit: in Iliadè verò Homerus ipse loquatur, cujus ætate insula accessione decem urbium aucta ἑκατόμπολις vulgò dicta fuerit. Plinius *Crætam centum urbium famâ clarâ* dicit, tum verò, quum ipse scriberet, *circiter sexaginta oppidorum memoriam existisse prodit.* Hodie ad quatuor urbes & quin-

PRIMUM CAPVT EPISTOLAE.

& quindecim oppida est redacta. Sed descriptio Cretæ, qualis hodie est, à recentioribus Geographis peti poterit, & præ cæteris, si videbitur, Petrus Bellonius in Observationibus suis consuli.

PRIMUM CAPVT.

PAVLVVS SERVVS DEI, quia videlicet non tantum creatura Dei, sed etiam per fidem Deo subditus & minister Evangelij. APOSTOLVS AVTEM & legatus JESU CHRISTI SECUNDVM FIDEM ELECTORVM DEI, nempe non secundum morem seculi, ad acquirendum regna terrena, neque ad tractandum de bello, pace & foederibus, in quos fines reges mundi legatos creare solent, sed ad longè latèque propagandam fidem, qualis propria electorum Dei, ET AGNITIONEM VERITATIS, QUÆ EST SECUNDVM PIETATEM, sive quæ ad pietatem facit, veritatis videlicet non theoreticæ, sed practicæ, non occupatæ in subtilitate otiosarum speculationum, sed excitantis & dirigentis exercitia & officia Christianæ pietatis. * AD SPERM VITÆ ÆTERNÆ, hoc est, ut obtineatur tandem sperata æterna vita, hæc videlicet est finis ultimus, & ut quidam vocant, externus: fides & agnitio veritatis est finis intermedius & internus, nempe prædicatio Evangelij proximè ad agnitionem veritatis & fidem dirigitur; & tendit, fides autem ad vitam æternam, QVAM PROMISIT DEVS ILLE MENTIRI NESCIVS, ANTE TEMPORA SECVLARIA. Si ante tempora secularia idem fuerit, quod ante jacta fundamenta mundi, ut loquitur Eph. 1, 4, & ante seriem seculorū, quæ à condito mundo fluxerunt, quemadmodum accipitur 2. Tim. 1, 9; tum *promisit* idem erit, quod *decrevit & destinavit dare*. Promissio quidem propriè sumta requirit personam, cui fiat: sed ante conditum mundum nemo erat; cui promitteretur. Nihilominus qui firmiter statuit aliquid alteri dare, quamvis non adsit alter ille, quodammodo tamen id ei promittit.

PRIMUM CAPUT EPISTOLAE.

¶ Nihil igitur obstat, quin ista, quemadmodum diximus, acci-
 piamus. Si enim propter certum propositum dandi gratia
 nobis ante tempora secularia data affirmatur 2. *Tim.* 1, 9.
 etiamsi non essent, quibus daretur: pari ratione & propter
 idem propositum vitam æternam Deus nobis itidem ante
 tempora secularia promississe censebitur, quia videlicet cer-
 tō decrevit dare, & promissionem conveniente tempore
 promulgare. Sin τὸ *promisit* accipiatur strictè & propriè
 cum respectu ad personas, quibus facta promissio; tempora
 secularia denotabunt non omnia secula: sed multa secula,
 ut sensus sit: vitam æternam promisit Deus priscis patribus,
 & in patrum personâ omnibus, qui incedunt per vestigia fi-
 dei ipsorum; ante quàm plurima secula; sub ipsum statim
 mundi initium. Quod enim promisit Abrahamo vel alte-
 ri patriarchæ fidei, quatenus fidei, id omnibus fidelibus
 promisit. Et tempora secularia vel æterna pro priscis vete-
 rum patrum temporibus ponit Apostolus Rom. 16, 25. ubi
 memorat revelationem mysterij temporibus secularibus,
 hoc est, priscis, taciti. Promisit Deus vitam æternam fide-
 libus, olim & à plurimis retrō seculis, MANIFESTAM AVTEM
 eam FECIT TEMPORIBVS SVIS, sive quando jam adfuit ju-
 stum & constitutum tempus, nempe * SERMONEM ILLVM
 3. SYVMEVangelicum, quo tota illa promissio palàm fit, & æter-
 na vita quasi continetur & exhibetur. Per illum enim sermo-
 nem vita æterna quasi publicè proponitur, præsertim qua-
 tenus ad ejus consortium universæ gentes invitantur, quod
 olim haut ita fiebat, PER PRÆCONIVM, QVOD CONCREDI-
 TVM EST MIHI EX IMPERIO SERVATORIS NOSTRI DEI,
 Ἐσωτῆρ ἡμῶν Ἰησ, nempe visum fuit Deo auctori & conser-
 vatori vitæ, ad hanc vitam, quæ ipsius verbo & evangelio
 continetur, sive ad promissiones illas vitæ publicandas, po-
 pulisq; & gentibus manifestandas, meo uti ministerio, meâ
 voce

AD TITVM.

voce & meo præconio. Ita sub initium epistolæ, quam non à solo Tito [propter quem hisce expositis non admodum opus] sed ab omnibus fidei eius commissis legi voluit, Apostolatium suum describit & commendat; quâ ipsâ descriptione siue commendatione auctoritatem ijs, quæ dicturus siue constituturus, & Tito, qui ea exsequutus erat, conciliat. Omnes verò causas ministerij sui breviter complexus est. *Efficiens* & *princeps causa* est Dei imperium siue mandatum. *Formalis* est prædicatio vel præconium concreditum. *Materialis* est Dei verbum siue evangelium. *Finis internus* est fides & agnitio veritatis, quæ est secundum pietatem; *externus* & ultimus est vita æterna. Addit cui scribat, TITO GERMANO, non adulterino, non fucato FILIO, quem scilicet per ministerium meum genui, IN COMMUNI FIDE. Una & eadem fides utrique communis, atque adeò secundum eam fratres sunt; licet attendendo productionem fidei & rationem ministerij, unus genuerit, alter genitus sit; & per consequens unus pater, alter filius sit. *Ego vos genui in Christo per evangelium*; ait 1. Cor. 4, 15; & ad Philemonem, Onesimum vocat filium suum, quem in vinculis suis genuerit, versu decimo: * GRATIA SIT TIBI, MISERICORDIA ET PAX (ijsdem verbis Timotheum salutatur sub utriusque epistolæ ad ipsum initium) A DEO PATRÆ ET DOMINO JESU CHRISTO SERVATORE NOSTRO. * HVIUS REI GRATIA RELIQVI TE post meum discessum IN CRETA, VT QUÆ DESUNT, quæque ipse propter festinatum abitum, aliò me vocantibus evangelij negotijs, præstare & perficere non potui, CORRIGAS, siue suppleas & absolvas, nempe etiam si jacta essent fundamenta, & homines in articulis summam salutis concernentibus instituti; deerant tamen quæ ad gubernationem, ordinem & decorum ecclesiæ pertinebant: & enixè opera erat danda, ne veritatis, quâ semel Cretenses imbuti erant, oblivionem sibi

obre-

4.

5.

obrepere, aut ab eâ per improbos & perversos doctores se ab-
 duci paterentur. Quæ igitur, ait, ad conservationem, exter-
 num regimen & ornatum ecclesiæ Cretensis facientia adhuc
 desiderantur, suppleas, ATQVE eo fine, quum unus urbibus,
 quibus insula abundat, minimè sufficias, CONSTITVAS OP-
 PIDATIM PRESBYTEROS, SICVT EGO isthinc abiens TIBI
 MANDAVI, & jam tum ordinem modumq; quem attenderes,
 præscripsi. Cavere enim debes, ne quem temerè tan-
 to muneri admoveas.* Is demum idoneus erit, SI QVIS EST
 INCVLPATVS, qui ob integritatem vitæ & morum benè au-
 diat, nec probabili suspitione alicujus criminis laboret.
 namut benè monet Augustinus *multi baptizati fideles sunt*
 6. *sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.*

l. 1. Cont.
 duas Epist.
 Pelag. c. 4.

VNIUS VXORIS VIR, Controversiam de conjugio presbyte-
 rorum alibi tractamus. Saltem hic adscribamus, quæ ad hunc
 locum annotârunt Hieronymus & Chrysostomus. Hiero-
 nymus, uti in his Commentarijs solet, diversorum opinio-
 nes & sententias jungit. Verba ejus sunt: *Quod ait, unius*
uxoris vir, sic intelligere debemus, ut non omnem monogamum
digamo putemus esse meliorem, sed quò is possit ad monogamiam
& continentiam cohortari, qui sui exemplum præferat in do-
cendo. Paulò post: Non sibi ergo applaudat quicumq; quasi mo-
nogamus eligitur, quòd omni bigamo sit melior, quum in eo ma-
gis electa sit felicitas, quàm voluntas. Quidam de hoc loco ita
sentiunt: Judaica, inquiunt, consuetudinis fuit, vel binas uxo-
res habere, vel plures; quòd etiàm in veteri lege de Abrahamo
& Jacob legimus: & hoc nunc volunt esse præceptum, ne is, qui
Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores.
Multi superstitiosus, quàm veriùs, etiàm eos, qui quum genti-
les fuerint, & unam uxorem habuerint, quâ amissâ post baptis-
mus Christi alteram duxerint, putant in sacerdotium non le-
gendos; quum utique si hoc observandum sit, ij magis ab episco-
 patu

patu arceri debeant, qui vagam per meretrices antè exercen-
 tes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint, & multò
 detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quàm bigamum
 reperiri, quia in alio infelicitas matrimonii est, in alio ad pec-
 candum prona lascivia. Ista Hieronymus. Chrysoftomus in
 hunc modum loquitur: *Obstruere intendit hereticorum ora,*
qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpà carere, imò esse
tam pretiosam, ut cum ipsà etiam possit quispiam ad sanctum
episcopatus solium subvehi. Castigat quoque hoc ipso τὸ ἀσελγείας,
lascivos & impudicos, dum eos non permittit post secundas nu-
nptias ad ecclesie regimen dignitatemq; pastoris adsumi. Nam
qui nullam benevolentiam erga uxorem defunctam servasse de-
prehenditur, quo pacto hic ecclesia bonus magister esse poterit?
imò quibus non criminibus indies subjicietur? Nostis enim pro-
fectò omnes, et si per leges secunda nuptia permittuntur, multis
tamen eam rem accusationibus obnoxiam esse. Quod in his
Chrysoftomi verbis ἀπελθούσων defunctam reddunt, ego per-
peram fieri putàrim, malimq; reddi, eam qua discessit, re-
puziata scilicet, iniquè & malè tractata; idq; cum vocabulo
ipsi, tum rei, de quâ agitur, magis convenit. Nam quum
honorabile sit conjugium inter omnes, Heb. 13, 43. & ipse
Apostolus cœlibibus & viduis dicat, ut si se non continent,
matrimonium contrahant, 1. Cor. 7: v. 8. & 9; item juniores
viduas nubere velit, 1. Tim. 5, 14: quomodo ausus fuerit
Chrysoftomus impudicos eos vocare & criminibus obno-
xios dicere, qui monitis Apostolicis, imò mandatis divinis
obsequiti ad secundas nuptias transferint? Per leges, ait, se-
cunda nuptia permittuntur, intellige secundas nuptias prio-
re uxore dimissâ vel expulsâ, & adhuc vivente contractas; &
leges non modò Mosaicas vel Iudaicas, sed etiam Roma-
nas & Imperatorias, quæ variis de caussis divortia & repudia
permittunt, ut constat sub hoc titulo, cum è Digestis, tum

è Codice. Nec enim argui potest benevolentiam uxori non servasse, qui viventi, quicquid debuit caritatis & officij præstitit, ipsaque mortuâ aliam duxit: sed qui ductam eiecit, aut ita tractavit, ut feritatem & truculentiam suâ necessitatem discedendi imposuerit, benevolentiam conjugalis rationem nullam habuisse rectè dicitur. Nunc subjiciamus verba Thomæ Aquinatis in hunc locum. *Quod dicit, Unius uxoris vir, orientales sic exponunt; Ne habeat simul duas uxores, sicut quorundam est consuetudo. Sed secundum hoc non esset necessarium Apostolum hoc dicere, quia secundum leges Romanas etiam ante fidem non licebat simul habere plures uxores. Licebat, inquam ego, unâ, sive ex arbitrio & placito, sive ob aliam causam, repudiatâ alteram ducere, quâ de re manifestò constat & ex consuetudine historiâque, & ex jure civili scripto. Sed pergat Thomas: Item 1. Tim. 5. dicit de viduâ, quæ fuit unius viri uxor, & tamen numquam licuit, quòd una plures viros simul posset habere. Potuit, inquam, habere unum, à quo abcessisset vel repudiata esset, & alterum, cui post divortium prioris nupsisset. Iterum autem pergat Thomas: Dicendum est. & rectius, quòd presbyterum unam tantum & non plures licet habuisse ante & post baptismum. Secundum quosdam autem ratio hujus est, quia signum esset incontinentiæ, si plures habuisset. Sed hoc non est verum, quia nihil repugnaret, si plures habuisset meretrices. Sed est alia ratio altior, scilicet quia ipse est dispensator Sacramentorum & ideò nullus defectus Sacramentorum debet esse in eo. Sed Sacramentum matrimonii est significativum conjunctionis Christi & Ecclesiæ. Ergò ut signum respondeat signato, sicut Christus est unus & Ecclesiæ una, sic & hic. Deficeret autem, si Episcopus plures uxores habuisset. Hoc totum nihil est nisi allegoria, per quam, quod nullo Scripturæ sensu litterali probatur, evinci nequit. Dolendum profectò est, eò rem in ecclesiâ devenisse, ut conjugem defunctâ*
secun-

secundum Dei ordinationem honorabile matrimonium iterasse dignitate & ministerio ecclesiastico excludat; plures autem meretrices habuisse, [quas tamen, & earum complices, Deus damnabit, *Hebr. 15, 4.*] non excludat. Multò autem magis dolendum est in ecclesiâ Pontificiâ omnibus in universum presbyteris sancto & legitimo matrimonio interdictum esse, licere contra *passim sacerdotibus & religiosis impunè ad exemplum plurium Cardinalium & Episcoporum in omnem se libidinem effundere*, ut juxta propriam experienciâ loquitur Marcus Antonius de Dominis, libro de Repub. Ecclesiasticâ 2. cap. 10, num. 45: & cap. 12, num. ult. *Conjugatos, ait, nolumus, adulteros tamen, scortatores impudicos & nefarie inquinatos ad sacrosancta ministeria non paucos adhibemus.* Quum superiore seculo Pius V. Pontifex meretrices, quarum Roma (in arce scilicet religionis) à multo tempore frequens ac publicum mercimonium est, urbe excedere jussisset, monitus autem inter tot cœlibes, sublatis fœminis, majoris vitii quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum subesse, lupanaribus inclusisset, & ne, ut priùs liberè per totam urbem interdum noctuq; vagarentur, prohibuisset, Senatus Romanus à sacro ordine, qui palam non audebat, clam instigatus intercessit, idem periculum imminere dictitans, nec matronarum pudicitiam inter tot cœlibes integram & inconcussam aliter servari posse, nisi pristina libertas restituatur. Hæc totidem ferè verbis Iacobus Augustus Thuanus historiam libro 39. Egregiam verò Pontificiorum sacrificulorum continentiam & castimoniam, per quam ne matronarum pudicitia periclitetur, liberum meretricum usum concedi oportet; & præclaras profectò constitutiones Sanctissimi Patris, quibus honestatem quidem matrimonij inter presbyteros abolet, necessitatem autem lupanaria & meretrices tolerandi accersit! Quam verò sancti & continentes fuerint, qui pres-



byteris occidentis coelibatum obtruserunt, historia, quam subijciemus, indicium faciet, narrata Matthæo Paris Anglo in anno Domini 1125. *Ioannes Cremensis, inquit, Cardinalis de licentiâ Henrici primi Regis Anglorum in Angliam veniens ad nativitatem B. Mariae apud Londonios solenne concilium celebravit. Vbi igitur de concubinâ sacerdotum (ita eâ tempestate conjuges presbyterorū vocabat) severissimè tractasset, dicens summum esse scelus de latere surgere meretricis ad corpus Christi conficiendum; ipse quum die illâ corpus Christi consecrasset, post vesperam fuit in meretricio interceptus. Res notissima negari non potuit.* Sed quoniam hanc controversiam plenè tractare non est interpretis Scripturarum, nos ad nostrum negotium, redeamus, & quæ sequuntur Apostoli verba consideremus. Quum in presbytero, siquidem conjugatus is esset, quales eâ tempestate plerique erant, legitimum matrimonium requisivisset, proximum erat, ut de liberis subjungeret. **LIBEROS, INQUIT, HABENS FIDELIS, SIVE Christianam & salvificam fidem amplexos** Si enim rem eò perducere non potuit, ut ad fidem proprios filios alliceret, quomodo episcopus factus alios convertet? **NON OBNOXIOS CRIMINI LUXVS, cui aliâs Cretenses admodum dediti erant, qualesq; erant filij Heli Sacerdotis, 1 Sam. 2. AUT REFRACTARIOS, subijci atq; obtemperare nescios, impatientes disciplinae & obsequium detrectantes.** Nam, ut loquitur 1 Tim. 3, 5, *si quis propriae domui praesse nescit, quomodo ecclesiam Dei curabit?* Et, ut Chrysostomus ait, *si quos ab initio secum semper habuit & enutrivit, improbos evadere permisit, & in quos cum per leges tum per naturam plenam potestatem obtinuit, regere non potuit, quomodo aliis proderit?* * **O PORTET ENIM EPISCOPVM INCVLPATVM ESSE, non tantum ratione sui ipsius, sed liberorum etiam & domesticorum, quorum ad ipsum cura pertinet.** Quem antea presbyterum, nunc Episcopum vocat; pari

pari ratione, quâ accersitis presbyteris ecclesiæ Ephesinæ, attendite, ait, vobismet ipsis & toti gregi, in quo vos spiritus sanctus constituit Episcopos; Act. 20, v. 17. & 28. Vt igitur annotat Hieronymus, & ex ipso transcripsit Sedulius, idem est presbyter, qui & episcopus: & aliud aetatis, aliud officii nomen est. In eam rem bene multa dicit & tandem concludit: Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos: paulatim verò, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciant se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi propositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominica veritate presbyteris esse maiores, & in communi debere ecclesiam regere. Ad Evagrium idem argumentum peculiari tractat epistolâ, ubi inter cætera dicit Apostolum perspicuè docere, eosdem esse Presbyteros, qui & Episcopi sint. Quòd autem postea, inquit, unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisq; ad se trahens Christi ecclesiã, rumperet. Plurimum verò hæc Hieronymi sententia à sententiã Aerij differt, quem Epiphanius & Epiphanium sequutus Augustinus inter hæreticos retulerunt, ille quidem hæresi 75; iste hæresi 53. Aërius enim qui Epiphanius & Hieronymi coætaneus fuit, præter quàm quòd Arrianus esset, episcopum nullâ ratione, nullo jure presbytero superiorem esse contendebat. Quin cùm dignitatem episcopalem, tum quæcunque ab ipso Servatore mandata non fuissent, sed postea ab ecclesiæ præsidibus ad bonum regimen instituendum & ordinis decorum servandum præscripta & introducta essent, ut inter cætera observationem Paschæ & statos jejuniorum dies, penitus reiecit & repudiavit. Tranquillitatem igitur & bene constitutum regimen ordinemq; ecclesiæ temerè turbare conatus est. At Hieronymus & nos cum ipso, Episcoporum

Ep. 85.

in singulis, amplioribus præsertim ecclesiis, institutionem utilem & propemodum necessariam, ac propterea retinendam iudicamus: neque inficias imus, antiquissimam, quin, ut multa alia ad regimen & ordinem in ecclesiâ facientia, ab ipsis Apostolis profectam esse. Quem enim nisi Episcopi locum, Paulo epistolis hisce tum constituente, tum indicium faciente, in Ephesinâ Ecclesiâ Timotheus, in Cretensi Titus obtinuit? Hieronymus verbis, quæ ex epistolâ ad Evagrium produximus, immediatè subjungit: *Nam & Alexandria à Marco Evangelista usque ad Heraclium & Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat? Potuisset Hieronymus non solius Alexandria, sed plurimarum, imò omnium ferè antiquissimarum ecclesiarum exempla proferre. Solâ ordinatione Episcopos Presbyteris superiores facit: atque ita etiam Chrysostomus Homiliâ undecimâ in priorem ad Timotheum, ubi rationem reddit, quare quum Apostolus capite tertio de Episcopis præcepta dedisset, nullâ factâ Presbyterorum mentione ad Diaconos transeat, quia scilicet, ait, inter Episcopum & Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris ecclesiæ cura commissæ est, ut quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris competunt. Solâ quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quàm presbyteri, habere videntur. Hæc Chrysostomus. Cæterum ordinationem peragi solitâ manuum impositione, quæ ritus est valdè latè patens, generalis, sive multis in negotiis adhiberi consuetus, nempe ad imperandam à Deo precibus personæ, cui imponuntur, aliquam gratiam, & hîc quidem ad impetrandam eam gratiam, quæ futuro in ministerio necessaria*

cessaria; hanc, inquam, manuum impositionem in primâ ecclesiâ ab ipsis quoque presbyteris præstitam fuisse constat ex ejusdem epistolæ ad Timotheum capite quarto v. 14. Quod igitur postea solis episcopis commissa, consuetudinis fuit & juris ecclesiastici, non divini, & ne quidem traditionis Apostolicae. Sed horum uberiori explicatione controversiarum scriptoribus permisâ nos ad textum, cui illustrando hæc ipsa inseruimus, revertamur. Oportet episcopum inculpatum esse TAMQVAM DEI DISPENSATOREM, sive tanquam œconomum, quem Deus ipse suæ familiæ præfecerit; & duplici quidem nomine, cum propter summam majestatem heri, quem non decet nisi probos ministros habere, tum propter maximam dignitatem rerum, quæ tractandæ & dispensandæ committuntur, mysteriorum videlicet & sacramentorum divinorum. *Inter villicum & familiam* ait Hieronymus *hæc sola distantia est, quod conseruus præpositus est conseruis suis. Sciat itaque Episcopus & presbyter sibi populum conseruum esse, non seruum.* Μη ἀυθάδι, NON SIBI ARROGANTER & pertinaciter PLACENTEM & hinc moribus asperum, tetricum atque alios fastidientem, ἡ ἀυθάδεια, ut Plato ait ἐπιμύια ζύνοια, contubernalis est solitudinis, sive solitudinem parit. Dionem enim, quem alloquitur à nonnullis minus quàm deceat officiosum haberi scribit. Aristoteles primo magnorum moralium ἀυθάδεια τῆ ἀρεσκεία sive nimio placendi & gratiam assentatrice comitate aucupandi studio opponit: mediam verò inter utrumque extremum facit σεμνότης, dignam viro gravitatem cum moderatione & decoro conjunctam NON IRACVNDVM, sive ad iram pronum. *Iracundus est*, dicente Hieronymo, *qui semper irascitur, & ad levem auram quasi à vento folium commovetur.* NON VINO-SVM: in vino enim est ἀσωτία, Eph. 5, 18; vinum & mustum intercipit mentem, Hos. 4, 11. Et rectè Seneca. *Quàm multa*
cbrj

Epist. 6.

Ep. 5.

ebrj faciunt, quibus sobrii erubescunt? Nihil aliud est ebrietas,
 quam voluntaria insania. Extende in plures illum ebrium ha-
 bitum, nunquid de furore dubitabis? NON PERCVSSOREM:
 Medicus enim est animarum, inquit Chrysoſtomus, Medicus
 autem minimè percutit, sed etiam si ab agro fortè percussus fue-
 rit, corrigit emendat & curat. NON TVRPITER LVCRARI CV-
 PIDVM, qui quamvis rei augendæ, quocunque titulo, quo-
 cunque colore, occasionem τὰν ἀμφοῖν amplectatur, qui que
 faciat ex ministerio suo aucupium pecuniæ, & actiones of-
 ficij ad lucrum dirigat, ita quidem, ut illas, unde dextra gra-
 vis ære domum redire queat, studiosè sectetur, reliquas ne-
 gligat, vel aliis transcribat. Vitium presbytero unicè vitan-
 dum, & quod à populo animadversum ipsum quidem vilem
 atque odiosum reddit, ministerium verò contemptui expo-
 nit. Dixit qualis non debeat esse: subjungit qualem esse o-
 porteat; sive, removit vitia, subjicit virtutes, * SED HOSPI-
 TALEM, ait, oportet esse. Si enim omnes illud de Evangelio au-
 dire desiderant: Hospes fui & suscepistis me; quanto magis epi-
 scopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium?
 Verba ista sunt Hieronymi. φιλάγαθον, PROBORVM AMAN-
 TEM, hominem videlicet, σώφρονα, PRVDENTEM, circumspe-
 ctum scilicet & sani judicij vel TEMPERANTEM: utramque
 enim significationem vocabulum admittit, & malè Hiero-
 nymus Latinum veterem interpretem, cujus versio hodie
 non exstat, reprehendit, quòd prudentem reddidisset,
 JUSTVM erga homines, PIVM erga Deum, CONTINENTEM sui
 ipsius respectu. Benè Chrysoſtomus: Non eum qui jejuniis
 studeat, hic significari voluit, sed qui omni vitio superior &
 linguam & manum impudicosq; castigaverit oculos. Ista quippe
 est continentia, nulli vitio subyeci. * TENACEM sive mordicis
 & constanter retinentem FIDELIS ILLIV sive qui nunquam
 fefellit, nunquam fallit & certissimam plenissimamq; fidem
 mere-

8.
Matt. 25, 35

9.

meretur, SERMONIS, QUI non ad ambitiosam ostentationem acuminis vel eloquentiæ, non ad explendam curiositatem, non ad deliniendas aures vel aucupandam gratiam, sed AD DOCTRINAM FACIT, h.e. ad ædificationem auditorum & solidum in pietate profectum. VT POTENS SIT sive facultate polleat, aut valeat ET EXHORTARI DOCTRINA SANA, id est commissum sibi populum ad studium pietatis efficacibus argumentis è doctrinâ cœlesti petitis, & infallibili veritate nixis incitare, ET CONTRADICENTES CONVINCERE. Duo enim sunt præcipua pastoris officia, nempe ovibus de idoneo & salubri pabulo prospicere, & lupos arcere, sive auditoribus sinceram & salutiferam doctrinam proponere, & illos, qui ei sese opposuerint, ita refutare & convincere, ne quod damnum dare vel fideles in sinceritate & simplicitate fidei suæ turbare possint. *Alia quidem, uti monet Chrysostomus, & in subditis sive auditoribus invenire facile est, puta, esse sine crimine, filios habere subjectos, hospitalem esse, justum & sanctum. Caterum hoc est, quod maximè doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere & adversarios confutare.* * SVNT ENIM cùm alibi passim, tum imprimis in illâ tibi commissâ insula MVLTI REFRACTARII ET VANILOQVI, sive inanibus argutiis dediti ET per argutias illas MENTIVM SEDUCTORES, qui, inquit Hieronymus, *nisi refutati fuerint, facile queunt simplicium corda pervertere.* Si igitur in seculo, quo majora & præsentiora imminent pericula, eò cautiùs homines excubias agunt & diligentius se muniunt; turpe sanè fuerit doctoribus veritatis, si Satanâ tantis conatibus eam impugnante, & tot hostes in aciem producente, ipsi torpeant vel securi & imparati desiderant. MAXIME verò vaniloqui & seductores sunt, QUI EX CIRCVMCISIONE, sive Iudæi Hellenistæ, in illis partibus nati atque degere soliti, (è Cretâ uxorem se accepisse testatur Iosephus historicus,

D

nobi-

10.

de vita sua
sub fin.

11. nobilissimis natam parentibus: unde insulam Iudæis non caruisse constat) qui traditiones suas & ceremonias legales cum Christo & Evangelio conjungunt. * **QUIBUS** non decet episcopum connivere aut interea, dum pravæ & noxias doctrinas disseminant, dormire, sed **OPORTET** maturè periculo prævertere & illis **OS** **OBTURARE**. *Tales homines, ut iterum Hieronymi verbis utamur, doctor ecclesie, cui animæ populorum credita sunt, Scripturarum debet ratione superare & silentium illis testimoniorum pondere imponere.* Appositè **c. 6, v. 7.** Chrysoſtomus: *Si rectè quidam, Syracides videlicet, admonuit: ne quæras fieri iudex, nisi valeas injustitiam tollere; longè profectò dignius, quemque hoc loco admoneri: Ne quæras fieri magister, si virtutem magisterii tibi deesse animadvertis; verùm etiam si traharis, resilire conator.* Oportet maturè & seriò molitionibus eorum obviam ire, quia ecclesiæ plurimum nocent & maxima daninant, **QUI** **TOTAS** **DOMOS** **SUBVERTUNT**, sive à sincerâ doctrinâ & fidei simplicitate abducunt, **DOCENTES** **QUÆ** **NON** **OPORTET**, quòd videlicet observatione ceremoniarum & traditionum ad consequendam salutem necessaria sit, **TURPIS** **LUCRI** **GRATIA**, nempe persuadent hominibus, quòd ipsi veram & perfectam salutis adipiscendæ rationem perspectam nondum habeant, se verò velle pate facere, modò tantum beneficium grato animo agnoscere & remuneratione aliqua prosequi parati fuerint. Hac itaque vafricie miseros à regiâ veritatis viâ seductos cum perniciosis erroribus imbuunt, tum argento emungunt. * **DIXIT** **QUIDAM** **EX** **IPSIS**, natione Cretenſis, **PROPRIUS** **IPSORVM** **PROPHETA**, qui proinde ipsorum mores satis perspectos habuit, neque potuit voluisse populares suos injustè criminari;

12.

Κρήτες ἀει ψεύται, καὶ ἀβελήαι, γαστέρες ἀργαί.

CRES **SEMPER** **MENDAX**, **MALA** **BESTIA**, **VENTER** **INERS** **EST**.

Epi-

Epiphanius contra Marcionitas, Epimenidem, ait, indicat veterem philosophum, & templi Mithrae sive Solis apud Cre-
tenses sacerdotem. Ex quo etiam Callimachus Lybicus testimo-
nium protulit, falso de Iove dicens: Har. 42.

Κρήτες ἀεὶ ψεύσονται, καὶ γὰρ τάφον, ὡς ἀνα, σέιο

Κρήτες ἐτεκτίναντο, οὐ δὲ ἔθνευς, ἐστί γὰρ ἀεί.

Cretes mendaces, tibi enim rex magne sepulcrum

Condiderunt, qui non moreris, sed vivis in avum.

Eosdem versus recitat & eidem Callimacho tribuit Origenes libro tertio contra Celsum cap. 12; Quin etiam hodie legere est hymno in Jovem, cum paucis aliis è Callimachi carminibus superstite. Malè itaque Chrysostomus Epimenidi adscribit, cujus non sunt duo hi, sed alter ille ab Apostolo citatus, è quo prima verba tamquam vulgare proverbium in suos transtulit Callimachus, ut benè ab Hieronymo observatum est. Frustra igitur uterq; & Hieronymus & Chrysostomus satagunt ostendere, non probari Apostolo, quia hunc versum citet, immortalitatem Jovis. Nam Epimenidem in suo carmine, versui, quem Apostolus laudat, quicquam de immortalitate Jovis, uti Callimachus fecit, attexuisse non constat. Et si maximè constaret, haut tamen aliquid aliud Apostolus probaret, quàm quod ipse protulit, & suo proposito accommodavit. De Epimenide verò Clinias Cretensis apud Platonem in hunc modum verba facit: For-
tasse audivisti Epimenidem virum fuisse divinum, qui è gente
nostrâ erat, ac decem annis ante Persicum bellum ad vos profectus sacrificia quaedam DEI oraculo edita perfecit, & Atheniensibus Persicam formidantibus classem prædixit, decennio Persas
nequaquam venturos, sed & postquam venerint, infectâ re discessuros, pluraque perpeffuros mala, quàm facturos. Laërtius
quoque Cretensem genere testatur Gnosoriundum. Sunt, ait,
qui dicant, Cretenses illi sacrificia asferre, ut DEO. Ajunt &

i. de leg.

lib. 1.

divinationis fuisse peritissimum. Diodorus Siculus *Theologum* nuncupat. Tullius *vaticinantibus per furorem* annumerat. Apuleius *inclutum fatiloquum* vocat. Quin ipsum Epimenidis librum *Oraculorum titulo* prænnotatum fuisse, testis est Hieronymus. Hinc itaque & juxta veterem communem Cretenfium, non autem juxta suam ipsius opinionem, prophetam appellat Apostolus, q.d. Etiam si apud me haut magnæ auctoritatis sit Epimenides, maximâ tamen est apud Cretenses, & vulgò cum ab ipsis, tum ab aliis gentibus divinus vates & propheta habetur. * Qualis qualis autem fit, & quamvis ipse quoque, ut Cretenfis, falsa plurima commentus fuerit, TESTIMONIUM tamen hoc, quod de popularibus suis tulit, VERVM EST, nempe quòd sint mendaces, ferinis moribus, lurcones, comedones, ventres. QUAM OB CAUSSAM EOS, utpotè qui longâ consuetudine & inclinatione quadam naturæ ad mendacia proclives sunt, & fabulis delectantur, REDARGVE PRÆCISE, sive seriò & severè, citra mollitiem verborum & ambages, VT SANI SINT IN FIDE, neque sinceritatem & simplicitatem ejus vel ipsi corrumpant, vel aliis corrupentibus aures præbeant. * NON ATTENTI IUDÆICIS FABVLIS, quas illi, quos ex circumcissione ecclesiam turbare paullo antè admonuit, doctrinæ admiscunt, ET PRÆCEPTIS HOMINVM AVERSANTIVM VERITATEM, sive quæ homines sinceritatem perosi & simplicitatem contemnentes pro suo libitu & arbitrato nullâ aliâ de causâ, nisi ut singulares sint, aut præ cæteris sapere videantur, vel quæstum faciant, comminiscuntur & obtrudunt. Inter ea unum fuit, quòd discrimen ciborum observari voluerunt & à nonnullis abstineri, sive quia ex se & naturâ suâ immundos reputarent, quam sententiam postea amplexi sunt Manichæi; sive quia lege Mosaicâ prohibiti essent. * Huc itaq; respiciens, & ex ipsorum commentis unum hoc attingens subjicit:

OMNIA

OMNIA QUIDEM MVNDA MVNDIS h. e. Christianis & fidelibus nihil contra suam conscientiam facientibus, neque ulli adversus conscientiam militanti peccato indulgentibus, esus quorumvis ciborum, & usus quarumvis rerum à Deo conditarum licitus & mundus est. Eadem de re iisdem verbis utitur Rom. 14, 20: *Omnia munda mundis.* Et 1. Tim. 4, 4: *quicquid condidit DEUS bonum est, nec quicquam reijciendum, si cum gratiarum actione sumatur.* Et Servator ipse Matth. 15, 11: *non quod ingreditur in os, polluit hominem.* Non igitur homo fidelis ullo cibo abstinet, tanquam ex sua natura immundo, quum nullus talis sit; neque enim tanquam per legem ceremoniam Mosaicam vetito, quum eam Christiani non teneamur; nihilominus libertate sua non abutitur: novit enim *bonum esse non edere carnem, neque bibere vinum, neque quicquam facere in quo frater impingat vel offendatur, Rom. 14, 21.* Ob cuiusmodi scandalum & impedimentum familiaritatis fraternæque conversationis tollendum Apostolis & presbyteris Ierosolymitanis, quin ipsi Spiritui sancto visum aliquando fuit, ut è gentibus ad Christum conversi *abstinerent ab iis, quæ idolis immolata & à sanguine & suffocato, Act. 15, v. 28. & 29.* A vino quoque & delicatioribus escis interdum abstinere, hoc fine, ut mente magis liberam in Deum feramus, precibus aut studiis operam demus, & carni frenos injiciamus, non modò reprehendi non potest, sed laudari potius debet. At si quis abstineat tanquam rebus ex se malis, injuriam facit Creatori, qui omnia condidit valde bona. Sin verò, quòd ejusmodi abstinentiam ex lege Dei necessariam aut medium salutis consequendam esse judicet; & puritatem Christianismi adulterat, & ex suo sensu media salutis, quæ Deo non probantur, constituit. *Non igitur, ut bene loquitur Chrysostomus, per naturam munda vel immunda sunt res, sed ex accipientium voluntate atque proposito.* Nempe ex

sine iudicatur de actione, praesertim indifferente, per nullam
 Dei legem, neque naturalem neque positivam vel mandatam
 vel prohibitam, quae adeo secundum semetipsam, sive qua for-
 mam suam, nulli regulae vel convenit vel discrepat, sed sal-
 tem qua finem suum, sive, quod eodem recidit, qua inten-
 tionem & propositum facientis. Subjungit igitur Aposto-
 lus: POLLVTIS AVTEM ET INCREDVLIS NIHIL EST MVN-
 DVM, quia videlicet nihil ad debitum finem referunt. Edunt
 cum delectu, & hoc ipso peculiarem Dei gratiam se prome-
 reri, alijs superiores & saluti propiores esse credunt. Prae-
 terea nullum habent actionem suarum fundamentum,
 nullum Dei mandatum. *Qui vero dubitat, si ederit, con-*
demnatus est, Rom 14. 23. Nihil itaque ipsis est mundum, SED
 POLLUTA EST EORVM ET MENS in cognoscendo pravis &
 perniciosis opinionibus imbuta, ET CONSCIENTIA in agen-
 do, recte & juxta Dei voluntatem instituta actionis minime
 sibi conscia, & propterea semetipsam redarguens. Bene Hie-
 ronymus: *Si mundi sumus munda est nobis creatura, Si autem*
immundi & infideles, fiunt nobis universa communia, id est,
immunda, sive per inhabitantem in cordibus nostris heresim,
sive per conscientiam delictorum. Quae verba in suos
 commentarios transcripserunt Sedulius & Anselmus sive
 Hervaeus. Lex quidem ceremonialis Mosaica bonam par-
 tem in externam quadam mundicie procurandam occupata est.
 Interdicit igitur non modo aliquorum animantium esu, sed
 tactu quoque cadaverum & sepulcrorum, mulierum quae
 menstruum vel quemcumque alium sanguinis fluxum, & vi-
 rorum qui gonorrhoeam patiantur: hisque ipsis & qui ea teti-
 gissent, modum mundationis praescribit. Vnde Epistola ad
 Hebraeos c. 9, v. 13. *sanguis taurorum & hircorum, & cinis ju-*
uencae aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem.
 Hisce Pharisei & seniores non pauca addiderant, nisi pugno
 lavif-

lavissent manus, & à foro venientes nisi loti non edebant. Observabant etiam ex traditione lotiones poculorum & sextariorum & aramentorum lectorum, Marc. 7. v. 3. & 4. Fortè igitur Apostolus non ad solam à vetitis escis abstinentiam, quæ tamen in hoc genere primas facile obtinuit, sed universam illam Judaicam munditiem respicit, quam, etsi per promulgatum Evangelium antiquatam, perversi tamen isti urgebant & requirebant, atque ita quidem, ut interiorum illam mentis & conscientiæ, quâ solâ nunc Deus verè delectatur, negligenter, loti videlicet & mundi manus & pedes. Illoti & immundi animum & cor. * DEVM PROFICIENTVR SE SCIRE; imò pleniore & plus quàm vulgari Dei rerumque divinarum & mediorum salutis cognitione se jactant, sed meri hypocitæ sunt, quem verbis se scire profitentur, FACTIS NEGANT, nempe ea perpetrant, quæ Deus severissimè & non saltim ad tempus, ut esum quarundam carniùm, sed in perpetuum prohibuit: voluntatem videlicet aliquam Dei, haut ita vulgò notam sibi innotuisse gloriantur; ei verò; de quâ nemo dubitat & omnibus manifestò constat, non obsequuntur. Rectè Hieronymus: *Quotiescung; vincimur vitiis & peccatis, toties Deum negamus; & è contrariò, quoties bene quid agimus, Deum confitemur.* Si itaque Deum esse & retributorem esse verè crederent, præcipua mandata neque tam parvi penderent, neque ita securè contemnerent QUVM SINT, quamvis mundissimi videri velint, ob foetorem impietatis ABOMINANDI, ET quamvis legis observantissimos se se jactent, legi veræ & hodie quoque nos obliganti inobedientes, rebelles & CONTUMACES; ET quamvis præ cæteris bonorum operum regulas se tenere gloriantur, AD OMNE BONVM OPVS REPROBI, sive ad bona opera cum dijudicanda tum præstanda inepti.

V. 16.

SECVN-

SECUNDVM CAPVT EPISTOLAE.
SECUNDVM CAPVT.

AT Ty Tite qui noris in eiusmodi argutiis vel ineptiis pietatem non consistere, imò corruptelas esse & pietati officere, LOQVERE QUÆ DECENT SANAM DOCTRINAM, quæq; ad ædificationem & solidum in pietate profectum faciunt, eaque omnium ætatum, omnium ordinum hominibus inculca. * VT SENES SOBRII SINT, & alieni à vitio bibacitatis, quod alioquin senectuti ob aridam corporis constitutionem familiare, VENERANDI, qui canis suis nihil indignum admittant, sermone & moribus gravitatem præ se ferant, & reverentiam sui in animis juniorum excitent, TEMPERANTES sive PRUDENTES & circumspecti, hæc enim dos longo tempore & rerum usu acquiri solita, si senectuti desit, facit ut ea contemnatur, SANI FIDE, si absit sanitas & robur corporis, ut senibus plerumque accidit, sani tamen sint præ cæteris & firmi fide, minimeque omnium ab eâ se dimoveri patiantur, ET CARITATE, quæ veræ fidei individua comes est, ET TOLERANTIA, quæ ex caritate oritur, *Caritas enim iram cohibet, non exacerbatur, omnia sustinet,* I. Cor. XIII, v. 4. 5. & 8. Et quum quotidie multa occurrant, partim indigna, partim acerba, ad officia caritatis præstanda segnes reddemur, nisi ista per patientiam superemus. * ANVS ITIDEM VT SINT HABITV, QUI SANCTIMONIAM DECEAT, ne in illâ ætate vestitu & gestibus lasciviam prodere videantur. Hieronymus: *ut ipse quoque earum incessus & motus, vultus, sermo, silentium quandam decoris sacri præferant dignitatē;* NON CALVMNIATRICES, quæ garrulitate suâ alijs detrahant & lites serant; NON MVLTQ VINO DEDITÆ, quoniam, ait Hieronymus, *quod in adolescentibus est libido, hoc in senibus ebrietas est;* HONESTATIS MAGISTRÆ, * Vt suo exemplo IUVENCVLAS SOBRIETATEM ET MORVM HONESTATEM
DO-

DOCEANT, MARITORVM ET LIBERORVM AMANTES ESSE,
 * TEMPERANTES, CASTAS, DOMI MANENTES, quæ non va-
 gentur per viciniam garrientes, & nova nunciantes vel in-
 quirentes, neglectâ interim domo suâ & rei familiaris curâ.
 Scribit Plutarchus in præceptis connubialibus, Ægyptias
 mulieres majorum instituto calceis non fuisse usas, ut domi
 tempus exigent. Addit Phidiam Eliensibus Venerem fe-
 cisse, quæ testudinem calcaret, οἰκετίας σύμβολον ταῖς γυναῖξι
 ἡσιωπίας, symbolum, quo famina domi sibi manendum &
 silentium servandum esse admonerentur. BENIGNAS, SVB-
 DITAS & morigeras SVIS VIRIS, NE SERMO DEI BLASPHE-
 METVR, ne imputeur evangelio, quod vitio hominum pec-
 catur, & oriatur suspicio atq; calumina, professionem Chri-
 stianismi homines meliores non reddere, neque evangeli-
 cam doctrinam vitia prohibere, quæ ab ipsis sanioribus gen-
 tibus & rectâ ratione improbentur. * JUVENES ITIDEM
 ADHORTARE, VT SINT TEMPERANTES. Juvenilis ætas ob
 caloris & sanguinis copiam in luxuriam & libidinē prona;
 si accedat intemperantia, augetur malum & oleum additur
 camino. * PER OMNIA TE IPSVM PRÆBENS EXEMPLVM
 BONORVM OPERVM IN DOCTRINA, id est, convenienter
 doctrinæ, quam proponis & inculcas. Ita enim cum Theo-
 doreto malo accipere, quàm sequentibus conjunctum de
 publicâ doctrinâ cum Chrysostomo interpretari: nam hîc
 de moribus agit, de doctrinâ superius egit capite primo. Est
 igitur quasi dicat: Esto exemplar & archetypus operum,
 quæ doces & facienda præcipis. Blandissimus enim præci-
 piendi modus est temetipsum facere, quod ab alio velis fie-
 ri. Et doctrinam in vitâ doctoris tamquam in speculo relu-
 cere oportet, alioquin futuram haut magnæ vel auctoritatis
 vefficaciæ. Optimè Hieronymus: *Nihil prodest aliquem
 exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum trivisse linguam,*

nisi plus exemplo docuerit quàm verbo. Præstes igitur omnibus conspicuam morum nullo vitio corruptorum INTEGRITATEM GRAVITATEM, quæ tibi quidem & doctrinæ auctoritatem conciliet, à morositate verò aliena sit. * SERMONEM SANVM, non otiosum, non frivolum & ineptum, multò minùs scurrilem vel obscœnum, vel proximo injurium, QUI à malevolis reprehendi & DAMNARI NON POSSIT, sed, ut est Ephes. 4, 29. *commodum ad ædificationis usum, quiq; gratiam auditoribus afferat, VT QUI SE EX ADVERSO OPPONIT,* & quavis ex re occasiones obrectandi captat, ERVBESCAT, ubi animadvertit, se frustra, quod carpat, aucupari, NIHIL HABENS neque reperiens, QVOD DE VOBIS DICAT MALI. * SERVOS HORTARE, VT SVIS DOMINIS SVBICIANT SESE, *cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis,* ut est Ephes. 6, 5. & obsequantur IN OMNIBVS quæ scilicet citra Dei offensio- nem præstari possunt, VT SINT EIS ACCEPTI, sive ut illorum ministerium gratum habere heri meritò debeant, NON RESPONSATORES, quibus agrè fuerit, nisi ejus heri verbo suum reponant, & ultimum semper occupent. * NIHIL INTERTVERTENTES, sive nihil clam & fraudulenter subtrahentes, SED OMNEM BONAM FIDEM, hoc est, fidelitatem & integritatem in tractandis rebus sibi creditis OSTENDENTES, VT DOCTRINAM SERVATORIS NOSTRI DEI ORNENT IN OMNIBVS, etiam abjectis illis & servilibus negotijs. Solebant alias servi sive mancipia veterum duro & intractabili, quin vafro & fraudulento esse ingenio: servi itaque Christiani si commodo & ad fidele obsequium parato se esse apud ethnicos ostenderint, valdè commendabunt doctrinam evangelicam, utpote quæ inolita vitia hominibus abstergat, & mores ingeneret commodos atque amabiles. Atque ita in ipsis quoque mancipijs, vilissimo hominum genere, (*potentia autem Dei per infirmitatem consummatur, 1 Cor. 12, 9*)

ob-

obtinere & verum efficitur, quod dicit Servator Matth. 5, 16; *Sic splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum, qui est in caelis.* Quod si probitas & virtutes infimæ & abjectissimæ sortis hominum, quales servi in primis eo tempore erant, religioni & doctrinæ ornamento sunt, quanto econtrà dedecori erunt vitia & flagitia aliorum in dignitate & honore constitutorum, præsertim episcoporum & doctorum? * ILLVXIT ENIM GRATIA ILLA DEI, prædicationis videlicet evangelicæ, SALVTIFERA OMNIBVS omnium nationum, ætatum & ordinum HOMINIBVS, atque adeò ipsis quoque miseris & abjectis servis Gratia Dei hîc ponitur metonymicè pro dono Dei gratioso, & quidem pro illo Dei dono, quod voluit *Evangelium prædicari in universo mundo omnibus hominibus;* Matth 28, 19. Marci 16, 15. Nempe, ut loquitur Apostolus Act. 17, 30. *Deus temporibus ignorantia connivendo dissimulatis nunc mandat omnibus ubique hominibus, ut resipiscant.* Illuxit igitur quasi ex improvîso & insperato omnibus in tenebris & umbrâ mortis positis gratia salutiferæ prædicationis evangelicæ. * ERVDIENS & tamquam pueros instituens & formans NOS, VT ABNEGATA & procul amandatâ IMPIETATE ET MVNDANIS CVPIDITATIBVS voluptatum videlicet, opum & honorum, sive, ut est 1. Johan. 2, 16, *cupiditate carnis, libidine oculorum & fastu vitæ,* TEMPERANTER & sobriè quò ad nosmet ipsos, ET IVSTE quò ad proximum, ET PIE quò ad Deum VIVAMVS IN PRÆSENTI SECVLO, non quasi in eo perpetuò permansuri, vel hac in vitâ summum bonum habituri: nam *si in hac solùm vitâ speramus in Christum, miserissimi omnium hominum sumus,* 1. Corinth. 15, 19: sed indefinenter respectantes ad alteram illam, & jugi indefessoque desiderio. * EXPECTANTES BEATAM ILLAM SPERM, hoc per hypallagen dictum significat exoptatam & speratam

speratam illam beatitudinem, ET ILLVSTREM ADVENTVM GLORIAE, h.e. gloriosum adventum ὁ μέγας θεὸς ἡ σωτὴρ ἡμῶν, MAGNI DEI ET SERVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI. Evidens testimonium de divinitate Servatoris, quod Ariani & nonnulli alij, quibus præit Commentarius Ambrosio adscriptus, eludere conantur, cavillantes verbis *magni Dei* denotari non Filium sed Patrem. At hanc corruptelam neque voces, neque res, de qua agitur, recipiunt. Non voces: nam si primò Patrem deinde Filium denotare voluisset Apostolus, dicendum ipsi fuisset repetito articulo, ὁ μέγας θεὸς ἡ σωτὴρ ἡμῶν, sicut Coloss. 2, 2. ὁ θεὸς καὶ πατὴρ πρὸς ἡμᾶς Χριστός. Nunc unicus articulus ad utramque vocem pertinens (quemadmodum in illo quoque, ὁ θεὸς ἡ πατὴρ Ἰησοῦς Χριστός, 2. Cor. 1, 3, & cap. 11, 31; Eph. 1, 3; Coloss. 1, 3.) vicissim utramq; vocem ad personam unam pertinere ostendit. Nec res, de qua agitur, depravationem istam admittit. Supremo enim illo & magno die apparebit, oculisque mortalium conspiciendum se præbebit non Deus Pater, sed Deus Filius. *Judicaturus est orbem terrarum per virum quem definiit, Act. 17, 31.* Quin toto Novo testamento nusquam Deo Patri ἐπιφάνεια tribuitur, sed soli Deo Filio, * QVI DEDIT SEMETIPSVM propitiationem 1. Joh. 2, 2. & ἀντίλυτρον, 1. Tim. 2, 6. PRO NOBIS, VT REDIMERET NOS AB OMNI INIQUITATE, sive, ut in nobis studium peccandi & cupiditatibus obsequendi exstingueret, ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, Rom. 6, 12; ut spiritu ambulemus, nec desideria carnis perficiamus, Gal. 5, 16; ut abstineamus à cupiditatibus carnis, quæ militant adversus animam, 1. Petr. 2, 11. Hic quidem finis summus & ultimus non est, sed ut æternam vitam habeamus: est autem intermedius, quem, priusquam ad ultimum deveniatur, pertransire oportet. Qui enim opera carnis peragit, regni Dei he-
res

14.

res esse nequit, Gal. 5, 21; & sine sanctimoniâ nemo videbit
 Dominum, Hebr. 12, 14. ET PURIFICARET SIBIMET IPSI
 POPVLVM PECVLIAREM. Allusit ad verba Domini Israë-
 litis dicta, Exodi 19, 5. *Eritis mihi* יְהוָה *peculium prae omni-*
bus populis. Quæ LXX. Interpretes in hunc modum expref-
 ferunt: ἔσοτε μοι λαὸς περὶ πάντων τῶν ἔθνων. Occur-
 rit eadem loquutio Deut. 7, 6. Et hoc de Israelitis divinitus
 dictum verbis, quibus à LXX. redditum fuit, ad Christianos
 & verè fideles Apostolus transtulit. Q. d. olim quidem po-
 pulus Israeliticus erat populus, quem Deus sibi seposuerat,
 & quasi thesaurum peculiariter diligebat: at *nunc in omni*
gente acceptus ei est; qui eum timet, & operam dat justitiæ, uti
 loquitur Petrus Act. x, 35. Christus itaque dedit semetipsum
 pro nobis, ut acquireret sibi è quibusvis gentibus & homi-
 nibus populum peculiarem, exemptum, pretiosum, ζηλωτῶν
καλῶν ἔργων, ACCENSVM STUDIO BONORVM OPERVM. *Vides,*
 ait Chrysoftomus, *ut non simpliciter à nobis opera virtutis*
exigantur. Addidit nempe ζηλωτῶν, *h. e. magnâ cum alacrita-*
te ingentiq; studio & animo virtutis opera capessentem. * HÆC
 quæ ad pietatem & singulorum officia faciunt LOQUERE ET
 ad ea præstanda EXHORTARE, demonstrans videlicet, quàm
 sint necessaria & quàm seriò Deus ea præcipiat & requirat,
 ET ARGVE negligentes, improbos & contumaces, quales
 juxta Cretenfium indolem superiùs descriptam isto in loco
 non deerunt, CVM OMNI IMPERIO, sive cum auctoritate &
 severè, ut quos non movit blanda adhortatio, eos coërceat
 acris reprehensio. Tu auctoritate utitor, tamquam doctor
 & episcopus, imò tamquam Dei legatus, qui Christi nomi-
 ne roget & præcipiat peccatis renunciare & Deo reconci-
 liari, 2. Corinth. v, 20. NEMO IGITVR eorum quos doces,
 hortaris vel reprehendis, TE DESPICIAT.

E 3

TER-

15.

TERTIVM CAPVT EPISTOLAE.
TERTIVM CAPVT.

- I. **P**Ræceptis & monitis particularibus certas ætates & ordines hominum spectantibus generalia, & quæ ab omnibus servari debeant, subjungens Apostolus, IPSIS, ait, auditoribus videlicet tuis universis & singulis SVGGERE, VT SE SVBIICIANT PRINCIPATIBVS ET POTESTATIBVS, hoc est, principibus & magistratibus potestate divinitus instructis, etiamsi ethnicis & à verâ pietate alienis. Neq; enim fides Christi ab obedientiâ legitimo magistratui debitâ liberat vel eximit. *Non enim est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatae. Itaque quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit*, Rom. 13, 1. & 2. Fideles igitur subijciant sese, dicto audientes sint, & statutis ac legibus lubenter & ex animo OBTEMPERENT, ET AD OMNE OPVS BONVM à magistratu injunctum, vel ad reipub. commodum & conservationem spectans, SINT PARATI. Pulchrè Augustinus de Christianis qui militârunt Juliano Imperatori *infideli*, ut Augustinus loquitur, *Apostata, iniquo, idololatra, Vbi, ait, ad causam Christi veniebatur, non agnoscebant illum, nisi qui in cælo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabatur.*
2. * NEMINI MALEDICANT vel detrahant Christiani, sive nullius famam obtrectando lædant, neminem probris vel convitiis incessant. Βλασφημείν dictum quasi βλάπτειν τὴν φήμην, generalem quidem in ipsis sacris litteris significationem obtinet, sed postea à Latinis Patribus specialem accepit, translatum ad significandum convitium Deo factum, vel contumeliam Deo illatam. SINT A RIXIS & PVGNIS ALIENI, ἐπιεικείς, *ÆQUI* & moderati, qui tranquillitatis ergo de rigore stricti juris sæpe aliquid remittant, OMNEM

EXHI-

EXHIBENTES mansuetudinem & animi LENITATEM ERGA
 QVOSVIS HOMINES, non modò pios, & domesticos fidei, sed
 infideles etiam & religionem Christianam nondum ample-
 xos, Neq; hos quasi veritatis expertes & idololatrias superbè
 despiciere decet, aut indignos reputare quos benevolentia
 prosequamur, aut mansuetâ nostrâ conversatione delinia-
 mus, & si fieri queat, ad amplexandum Christi fidem allicia-
 mus, * NAM quales illi nunc sunt, nos paullo antè fuimus,
 in eodem luto hæsimus, quod nobis tunc noluissemus
 fieri, nunc nos illis facere non debemus: ERAMVS videlicet
 QVONDAM ET NOS nihilo illis saniores vel meliores, AMEN-
 TES, REBELLES, ERRANTES, siue viam, quæ ad vitam ducit,
 ignorantes, & prorsus aliam, quàm quâ ire oportebat, am-
 bulantes, non obnoxii tantùm sed penitus addicti & SERVI-
 ENTES CVPIDITATIBVS ET VOLVPTATIBVS VARIIS, modò in
 illâ, modo in istâ partè, tamquã fluctibus & procellis quibus-
 dam nos raptantibus, IN MALITIA, nequitia ET INVIDIA DE-
 GENTES, ODIOSI, ALII ALIOS OUDIO PROSEQUENTES, siue simul-
 tatibus & odiis inter nos mutuò decertantes, Tales videli-
 cet & tam miserâ conditione sunt homines extra fidem &
 extra Christum. *Se ipsum, ait Theodoretus, reliquis annume-
 ravit Apostolus, non quòd omnibus istis criminibus obnoxius, sed
 quòd persecutor fuisset, nam nec reliqui omnes omnibus fue-
 rant obnoxii, sed hic quidem huic, ille verò alteri.* * SED POST-
 QVAM ILLVXIT BENIGNITAS ET PECULIARIS ERGA HOMINES AMOR
 SERVATORIS NOSTRI DEI, postquam videlicet nostrum in er-
 rore sedentium misertus fecit nobis Evangelium annuncia-
 ri (ita enim gratiam Dei illuxisse hîc accipio, uti superiore
 quoq; capite v. II.) & per Evangelium quatiã offerri, imo
 credentib⁹ Evangelio applicari & appropriari. * NON EX OPE-
 RIBVS IUSTITIAE, QVAE FECERIMVS NOS. quamenim *amentes,
 rebelles, errantes*, ut paullo antè indigitavit, justitiam
 præ-

3.

4.

5.

præstaremus? quæ additi voluptatibus carnis opera faceremus, quibus Deum demereremur? SED EX SUA MISERICORDIA SERVAVIT NOS, eripuit videlicet & liberavit nos cum à servitute, tum à poenâ peccati; donavit justitiâ Christi, & studiis pietatis & caritatis initiavit, consecravitque, PER LAVACRVM REGENERATIONIS ET RENOVATIONIS. Quoniam tantopere necesse est mutari hominem, & è pristinâ in aliam prorsus & novam vitam transferri, ideò hæc mutatio Regeneratio dicitur: ipse verò regeneratus veterē hominem deponere Ephes. 4. v. 22. & seqq. imò nova esse creatura, Gal. 6. 15. *Vides, ait Chrysostronus, quàm immerse malis fuerimus, adeò ut non purgatione, sed renovatione opus esset. Quemadmodum enim domum planè veterem & putredine carieq; consumtam nemo fulcit aut sarcit, sed à fundamentis eversam denuò erigere & novam reddere studet, ita quoq; Deus fecit in nobis.* Primum quidem purificantur sive renovantur corda fide, Actor. xv. 9. deinde accedit baptismus, quo fides, & quæ per fidem puritas & renovatio obtigit, confirmatur & obsignatur: quemadmodum Abrahamo adhuc præputiato imputata est fides ad justitiâ, & postea accepit signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio, Rom. 4. 11. De adultis enim qui ex auditu fidem concipiunt, nos modò loquimur, de quibus ipse quoque potissimum loquutus est Apostolus, quum eo tempore plerique, qui baptizarentur, adulti essent. Breviter baptismus ex Dei intentione & institutione lavacrum est regenerationis & renovationis. Adultis, qui jam ex auditu fidem conceperunt & per fidem regenerati sunt, regenerationē illam obsignat & confirmat. Infantibus verò, quibus auditus denegatur, & aliud medium applicari nequit, regenerationem ipsam tamquam ordinariam & quidem unicum medium confert. Hypocritis verò, quia propter eorum improbitatem & obicem, quem

quem ponunt, neque conferri gratia regenerationis potest, neque obsignari vel confirmari, quâ potiti minimè sunt; quantum tamen ex suâ & Dei parte est, eandem offert. Non malè in hunc locû Calvinus, qui aliàs de efficaciâ baptismi non semper commodè loquutus fuit; hîc autem satis commodè, *Principium illud, ait, valere debet inter pios, Deum non inanibus nobiscum figuris ludere sed virtute suâ intus præstare, quod externo signo demonstrat. Quare Baptismus congruenter & verè lavacrum regenerationis dicitur. Vim & usum Sacramentorum rectè is tenebit, qui rem & signum ita connectet, ut signum non faciat inane aut inefficax; neq; tamen ejus ornandi causâ Spiritui Sancto detrahat quod suum est. Tametsi neq; abluuntur in baptismo impij, neque renovantur, nihilominus vim istam, quod ad Deum, retinet, quia utcunque Dei gratiam respuant, illis tamen offertur.* Ista Calvinus. Constat igitur baptismum gratiam regenerationis omnibus atq; ipsis adeò hypocritis offerre; reliquis autem conferre, infantibus quidem ipsam, quam aliàs non habebant nec haberent, dando; adultis verò eam, cujus jam antè per fidem ex auditu verbi conceptam participes facti, confirmando & obsignando: nam is quoque quidam conferendi modus est. Quemadmodum si homo amicus vel opulentus tibi ædes donasset: tuq; eas jam possideres & habitares, si quis postea instrumentum & tabulas donationis legitimè confectas testimonioq; & sigillo roboratas tibi afferret, is profectò donationem ædium afferre diceretur: pari modo & ratione adultis, quamvis jam fidelibus & regenerationis participibus, nihilominus baptismus lavacrum regenerationis est, nempe quia gratiam illam regenerationis obsignat & stabilit. *Per lavacrum, inquit, regenerationis & renovationis SPIRITVS SANCTI, puta quam per lavacrum sive mediante lavacro præstat & efficit Spiritus Sanctus. Nisi enim quis genitus fuerit ex aquâ & Spiritu,*

F

non

non potest introire in regnum Dei, Joh. 3, 5. Solent autem per appropriationem quandam Spiritui Sancto tribui opera amoris erga genus humanum, utpote illuminatio & sanctificatio nostra: quemadmodum Patri opera providentiae & potentiae; Filio opera consilij & sapientiae. *Ne queras modum,* ait Theophylactus, *Spiritus totum peragit.* * **QUEM EFFVDIT IN NOS COPIOSE PER IESVM CHRISTVM SERVATOREM NOSTRVM,** nempe adoptavit nos in filios per Jesum Christum, Ephes. 1, 5: & jus dedit, ut filij Dei sint, illis, qui credunt in nomen Christi, Joh. 1, 12. Per eundem itaq; sive ejusdem merito & intuitu largitur Spiritum adoptionis, qui testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei, Rom. 8. v. 15, & 16; quique est arrhabo hereditatis nostrae, vel certitudinis de adoptione nostrâ & hereditate ejus beneficio consequendâ, Ephes. 1, 14. * **Vt IUSTIFICATI** (Justificatio aliàs denotat remissionem peccatorum & justitiae Christi imputationem; Renovatio sanctificationem, & novitatem vitae, quam in fidelibus Spiritus sanctus efficit; Regeneratio utrumque atque adeò totum quod per Christum in hac vita consequimur complecti videtur: quamquam haut semper cum hoc discrimine verba usurpantur) **ILLIVS GRATIA & EX MERÂ MISERICORDIA HEREDES EFFICEMVR,** quippe qui Spiritum arrhabonem hereditatis accepimus, **SECUNDVM SPÈM VITAE AETERNAE,** quia videlicet dum hanc vitam vivimus, aeternae hereditatem non re sed spe adimus, nam *spe salvi facti sumus, Rom 8, 24: & nondum manifestum factum est quod erimus,* 1. Joh. 2, 2. Quemadmodum igitur nos, qui non ita pridè infideles & improbi eramus, nunc per Dei gratiam regenerati & renovati sumus, ita quoq; aliis idè potest contingere, ut ipsi etiam ejusdem gratiae participes facti è servitute peccati eripiantur, & Christo inserantur. Adversus ipsos itaque superbè & morosè nos gerere minimè debe-

debe-

debemus. Ad hunc enim scopum argumento & sermone suo Apostolum collimare supra ostendimus. * FIDVS & certus EST HIC SERMO. eâ formulâ utitur Apostolus, quoties seriò aliquid cupit asserere, ut patet ex superioribus epistolis ad Timotheum, priore, cap. 1, 15; 3, 1; 4, 9; posteriore, cap. 2, 11. ET HÆC quæ ad pietatem, Dei timorem & bene compositos mores faciunt, VOLO TE omissis inanibus speculationibus & incertis disputationibus strenuè & constanter ASSEVERARE. Nempe doctorem quicumque temerè, & cujus veritatem compertam non habeat, asserere non oportet: quod autem certæ fidei & ad pietatem necessarium esse novit, sedulò & seriò inculcare, & fortiter tueri debet. VT QUI CREDIDERVNT DEO CVRENT, hoc est, maximo studio enitentur BENE AGENDO PRÆIRE, sive in exercitio bonorum operum excellere & principarum quendam assequi & quasi antistites esse. Primum est Deo credere; proximum autem pietatis & officij operibus præstandis fervente studio incumbere. Chrysostomus explicans quid sit καλῶν ἔργων ἀγορεύουσα, Hoc est, inquit, oppressis injuriâ auxilium ferre, non pecuniis tantum sed exhortatione etiam, salubriq; doctrinâ, viduis item ac pupillis succurrere & opitulari, omnibusq; qui in afflictione aut angustiâ sunt, prospicere miserationis affectu. Id quippe est bonis operibus præesse. * HÆC ILLA SVNT BONA ET HOMINIBVS UTILIA, facientia videlicet ad cultum pietatis & virtutis. STVLTAS AVTEM QVÆSTIONES ET GENEALOGIAS ET CONTENTIONES AC PVGNAS LEGALES COHIBE & compeſce, sive missas fieri præcipe. Genealogiis attendendum non esse scribit quoque ad Timotheum epistolâ priore, cap. 1, v. 4. Dubium autem non est, quin illos ex circumcissione, de quib⁹ supra c. 1, v. 10. & 14. sive Judaizantes respiciat & reprehendat. Illi vel de genealogiâ Servatoris scrupulosè fuerunt solliciti, vel de suâ ipso-

profapiâ, satagentes demonstrare, quantâ nobilitatē emine-
rent, quoto cognationis gradu priscos reges vel duces vel
alios magni nominis viros aut ipsum etiam Servatorem
contingerent. Ad hunc locum Hieronymus: *Audiui ego
quemdam de Hebraeis, qui se Romae in Christum credidisse simu-
labat, de genealogiis Domini nostri Jesu Christi, quae scriptae sunt
in Matthaeo & Lucâ, facere quaestionem, quod videlicet à Salo-
mone usque ad Joseph nec numero sibi nec vocabulorum aquali-
tate consentiant. Qui quum corda simplicium pervertisset, quasi
ex adytis & oraculo deferebat quasdam, ut sibi videbatur, solu-
tiones; quum magis debuerit iustitiam & misericordiam & di-
lectionem Dei querere: & post illa, si fortè occurrisset, de nomi-
nibus & numeris disputare.* Contentiones & pugnae lega-
les fuerint sine dubio de modo & ratione exsequendi præce-
pta legalia, ut de modo faciendi zizith, de quibus Num. 15,
38; servandi sabbathum; expurgandi imminente paschâ fer-
mentum: quibus rebus hodiè quoque mirum in modum se
torquent Judæi. Fuerint fortè etiam de causis præceptio-
num legalium, ut quare abstinere iusserit Deus carne suillâ
vel leporinâ? quare animantia prædita solidis sive non fissis
ungulis immunda? quare non arandum bove simul & asino?
Quum enim observationes illæ sint abolitæ & antiquatæ, de
modo observandi inquirere vanum est: nam tum quoque,
quando observate oportebat, satis erat ad simplicem litteræ
sensum citra scrupulum & superstitionem attendere. Causæ
etiam omnium talium evidentes non sunt, neque reddi pos-
sunt. Vbi igitur nullæ occurrunt, acquiescendum est in di-
vinâ voluntate, cui ejusmodi præcepta visum fuit promul-
gare. Deo citra controversiam constat ratio suorum præ-
ceptorum. Nobis si nullam perspicere possumus, sufficiat
Deum præcepisse: sin aliquam assequi nobis videmur, ne ar-
roganter nos geramus, nec sententiam nostram aliis, quibus
fortè

fortè non arridet, odiosè obtrudamus. Neque verò soli Judæi stultas & inutiles quæstiones moverunt. Invasit frivolæ curiositatis morbus postea multos alios, Scholasticos præsertim quos vocamus, qui post Magistrum sententiarum Petrum Lombardum ab anno circiter Christi millesimo ducentesimo in ecclesiâ occidentis regnarunt. Inutilibus enim & vanis quæstionibus meritò annueramus multas earum, quas moverunt & agitarunt illi, quos diximus Scholastici, magno quidem conatu, neq; minore subtilitate, quæ si tam ad pietatē semper faceret, quam ingenium exercet & acuit, omni laude superior foret: plerumq; autem tanto inter se consensu, quanta quæstionum, de quibus disceptabant, erat utilitas. Ejusmodi quæstiones sunt ut è multis aliquas in exemplum adducamus, *An potuerit alia persona quam Filius, incarnari? An plures personæ unam naturam potuerint assumere? An si homo non peccasset, nihilominus Filius Dei incarnandus fuisset? An potuerit assumere & sibi personaliter unire naturam brutam vel inanimatam? An ex utero prodierit non dilatato claustro virginali?* Et de quibus peculiari tractatu disputavit Dominicus de Dominicis Venetus, *An sanguis Christi effusus manserit unitus Deitati? Qualis fuerit filiatio Johannis Evangelistæ ad Beatam virginem?* Laude tamen minimè caret, quin imitatione dignum est, quòd de his ipsis & aliis cum harum similibus, tum melioribus plurimis quæstionibus disceptantes Scholastici placidè & modestè agunt, absque acerbitate & convitiis, solis certantes rationibus & argumentis. Posterioribus & nostris hisce temporibus non imminuta quidem est curiositas & fervor de quæstionibus, quòd pietatem attinet, sterilibus & inutilibus disceptandi: imminuta sunt autem præsidia ab eruditione, sine quibus nulla subtilior vel intricatior quæstio feliciter tractari aut expediri potest. Econtrà verò aucta est libido

contendendi, & eò processit usque ut, ubi desunt rationes, acerbitate verborum & maledicentiâ res agatur; quin eò usque, ut dissentientes sese invicem tolerare nolint, alteri alteros communionem indignos sentiant, anathemate feriant & condemnent. Itaque factum, ut quæ superioribus seculis tamquam opiniones in utramque partem liberè disputabantur, hoc nostro quasi articuli fidei & fundamenta salutis ab ijs sæpè, qui rem per affectus vel imperitiam capere & dijudicare nequeunt, determinata sint & obtrusa. Huc refero pleraque quæ de modo mysteriorum controvertuntur, quum Scriptura contenta sit, quod ad salutem cognitu necessarium est, simpliciter proposuisse, ut Quòd unus, sit Deus, qui Pater, Filius & Spiritus sanctus; Quòd idem mundum condiderit; Quòd Filius pro nobis homo factus; Quòd per baptismum nos regeneret; Quòd in Eucharistiâ corpus suum manducandum nobis præbeat; Quòd gratiâ Dei credentes Evangelio pieque viventes servemur; cetera verò, quæ modos, quibus singula sint aut fiant, concernunt, & alia subtiliora, utpote nobis minimè necessaria & plerorumq; Christianorum captum superantia, ut plurimum reticeat. Sanè horrendi schismatis, quod hodie Ecclesiam catholicam non modò perturbat, sed sædè deturpat, & propemodum pessumdat, duas præcipuas causas esse puto, unam quidem immensam & immoderatam Romani episcopi ambitionem & tyrannidem; alteram verò, quòd è quibusvis subtilitatibus & minutijs controversias capitales sive fundamentales facimus easque in alterutram partem sub notâ *ερεσδοξίας* & hæreseos plerumque determinant, qui omnium minimè rē intelligunt. Et longè, quàm nostra hæc occidentis, felicior est ab eâ quidem parte Ecclesia Græca, quæ ut eruditionis, ita quoque contentions minus habet, simpliciter assentiens Apostolico, Nicæno, & aliis Catholicis symbolis, de pietate, cuius

cujus & Christianæ patientiæ exercendæ subdirâ illâ servitute quotidie offertur non occasio modò, sed necessitas magis sollicita, quàm de disputationibus & subtilitatibus quarum incuriosa factiones, quibus cum nos hodie luctamur, earumq; nomina penitus ignorat. Nemo tamen propterea sibi persuadeat, quòd eruditionem accusem vel damnem, vel quòd existimem nullâ opus esse eruditione, aut nos præfidijs liberalium artium carere posse, nã etiamsi quæstiones, quales taxavimus, superflua & ociosa exortæ nunquam essent; ad scripturas tamen intelligendas & exponendas, & ad ipsos fidei articulos adversus ethnicismum & hæreses asserendos & defendendos, litteris & disciplinis peropus fuerit. Quòd plures autem circa ipsa fundamenta quæstiones apud nos enatæ sunt, & hodie controvertuntur, eò magis solidâ & perfectâ quadam eruditione opus est. Et tot enim quæstionibus & controversijs ope magnæ cujusdam eruditionis fortè aliquando, si Deus volet, eluctabimur: absque eâ, & si imperitiæ rerum summam crediderimus, numquam. Nane quidem quæstionem aliquam ociosam esse, vel talẽ, quæ certò in alterutram partem determinari nequeat, nisi eruditio suppetias ferat, ostendi potest. Quin si contentiones sopiri, aut saltem mitigari cupimus, arcendi omninò sunt indocti & imperiti, à quibus nihil minùs, quàm huic morbo medicina sperari potest. Iubeantur itaq; in simplicitate fidei acquiescere, & in vicem disputationum officiis pietatis & caritatis operam dare. Quemadmodum autem in occidente, prò dolor! in eum rerum statum devenimus, ut òninò quæstiones multas disputari & controversias tractari oporteat; quicquid ejus est negotij, id totũ demandetur viris exacti ingenij, solidæ eruditionis & animi moderati. Illi dogmata purè necessaria ab alijs minùs necessariis; & à quæstionibus indeterminabilibus, superfluis & inutilibus segregent
neces-

necessaria strenuè urgeant, in reliquis minùs necessariis veritatem quærant, & si fieri potest, eruant, & rationibus ac argumentis munitam aliis ob oculos ponant: sententiam tamen suam tamquam articulum necessarium nemini obtrudant, neque pluris eam fieri jubeant, quàm evincunt, quibus utuntur argumenta. Et hæc non nisi à doctis & inter doctos seorsim à conscientia vulgi, quantum ejus fieri potest, tractent. Etiam aliquando multum se profecisse putent, si ostenderint, in nonnullis certam & minimè ambiguum veritatem humano ingenio inveniri non posse: esse argumenta vel in neutram partem, vel in utramq; æquè probabilia. Cuncta verò ociosa & inutilia, & ad profectum in pietate & vitâ, quæ hominẽ Christianum decet, nihil quicquam facientia, missa faciant, vel parcè & eo saltem fine attingant, ut qualia sint planum reddant, & quàm indignum fuerit Christianos ob ejusmodi quæstiones torqueri, vel in partes ire, demonstrent. Caveant autem, ne quod curiositati explendæ, vel ingenio exercendo, vel acumini ostentando à nonnullis datum fuit, aut etiam hodie dari possit, id ipsi arripiant, & quod sibi in talibus visum fuerit, odiosè venditent, vel morosè obtrudant: in primis verò ne malum augeant & quæstiones quæstionibus cumulent. Potius omnes ejusmodi, quantum fieri potest, declinent, & ostensâ inutilitate earum & vanitate, resecent: SVNT ENIM, ut verissimè & optimè hic loquitur Apostolus, INVILES ET VANAE. * Subjungit: HAERETICVM HOMINEM POST VNAM ET ALTERAM ADMONITIONEM AVERSARE, rejice, repelle, quasi dicat, Qui quæstiones agitant frivolas & inutiles, etiamsi extremè mali non sint, & tolerari aliquatenus possint, compescendi tamen sunt, & severè castigandi, ut curiosas atque otiosas istas quæstiones missas faciant: neque ipsi, si pietatem seriò

& ex

10.

& ex animo colant, necessariis monitis obtemperare recusabunt. Si quis autem eò usque quaestionibus & contentionibus progressus fuerit, ut in hæresin (*hæresis*, ait Hieronymus, *græcè ab electione dicitur, quòd scilicet unusquisque id sibi eligat, quod ei melius esse videtur*; nempè quòd ejusmodi homo ostenso divinitus salutis adipiscendæ modo contentus esse nolit, sed alium suo opte ingenio & arbitrio constituat) prolapsus, fundamenta salutis in dubium vocet aut convellat, semel atque iterum seriò admonendus est, veritate, à quâ defecit, & rationibus, quibus illa nititur, inculcatis, & periculo æternæ damnationis, in quam præceps erat, ob oculos posito. Quòd si quiescere omninò nolit, & contendere atq; contentionibus suis fundamentales articulos oppugnare, & quantū in se fuerit, evertere pergat, vitandus est & consortium ejus fugiendum. Scribit Apostolus I. Corinth. 5, 11: *Si quis, quum frater nominetur, sit scortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi ne edatis quidem.* Hujusmodi operibus carnis annumerantur hæreses Galat. 5, 20. Dubium itaque non est, quin sicut vitanda est familiaritas & convictus eorum, qui, quum Christiani audire velint, operibus tamen carnis indulgent, nec moniti resipiscunt, ita quoque pari modo fugienda sit familiaritas & convictus hæreticorum, qui seriis admonitionibus & solidâ veritatis demonstratione corrigi nequeunt. Posteriore ad Thessalonicenses cap. 3. v. 14. ait: *Ne commercium habete cum eo, homine videlicet criminibus obnoxio, & emendationem respiciente, ut erubescat.* Addit autem; *neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem*: Existimo igitur homini hæretico pari modo familiaritatem & convictum subtrahendum & denegandum esse, ne tamen, ubi oportu-

G

tuni-

tunitas fuerit & commodè fieri possit, admonere & docere cum desinamus. Quòd si dixerimus Apostolum velle, familiaritatem eatenus quoque subtrahendam esse, ut ne quidem doceri ullo modo vel admoneri, vel disputari cum eo debeat; non oportebit intelligere hæreticum, qui ex ignorantia vel pravâ institutione hæresin amplexus sit, sequutus doctores aut parentes, aut popularium suorum errantium multitudinem: sed hæreticum malitiosum & obstinatum. Quales plerumque esse solent auctores hæreseon. Et de tali sine dubio loquitur Apostolus, quum de Cretensibus agat, qui omnes in doctrinâ salutis rectè fuerant instituti. Si quis eorum igitur hæresin introduceret, à veritate, quam antea doctus esset, & cognitam satis haberet, illum desciscere oporteret.

¶

* Indicio sunt verba, quæ sequuntur: **VT QUI NORIS EVRESVM ESSE**, neque ampliùs in solido, sive in fundamento salutis consistere, sed fundamento excidisse **EVM**, **QUI EST EIVSMODI, ET PECCARE**, per ἀνομιαν videlicet peccatum illud grande, quod est ad mortem, & pro quo non est orandum, 1. Johan. 5, 16. **VT, QUI SUO PTE IVDICIO SIT CONDEMNATVS**. Nempe veritatem pridem edoctus est, eamque perspectam habet. Novit itaque se falsa docere, & homines à veritate abducere. Hanc igitur Majorem ei suppeditat **ὑπέρβουσις**: Qui sciens & volens veritatem; præsertim divinitus revelatam, & sine quâ salus animæ obtineri nequit, pervertit, & ab eâ homines abducit, meritò condemnatur. Minorem suggerit **συνείδησις**, se scilicet; qui ejusmodi est, id facere. Ergo conclusione necessariò subdendâ & suo pte iudicio semetipsum condemnare cogitur. Quantùm igitur ex Apostoli verbis colligere queo, loquitur de hæresicos

feos auctore, qui deliberato proposito veritatem apud suum ipsius animum certam & contestatam malitiosè (fortè etiam ex ambitione, vel invidiâ, vel lucri cupidine, vel quacumque aliâ causâ) oppugnet, atque adeò in Spiritum sanctum peccet. Ille enim demum *αυτοκατα-
κειτ* & sive suoptè iudicio est condemnatus. Et quia pro ejusmodi orandum non est, neque docendus est aut admonendus erit. Aliàs doctrina & admonitio, ubi aliqua quamvis exigua profectus spes fuerit, nunquam subtrahendæ. Huic itaque, si subtrahi debent, erit homo deploratæ penitùs salutis, sive ejusmodi, de quo in viam revocando nulla omninò spes supersit: quales saltem sunt, qui in Spiritum sanctum peccant. * QVVM MI-

SERO ARTEMAM AD TE AVT TYCHICVM qui videlicet tui absentis vices, ut Hieronymus exponit, suppleant, STUDE VENIRE AD ME NICOPOLIN. Diximus in proœmio, Hieronymum ù quidè de Nicopoli Epiri accipere: sed ut cum Theodoreto & Chrysostomo Nicopolin Thraciæ accipiamus, convenientius esse. ILLIC ENIM DECREVI HYEMARE, *Non inquit, ut Chrysostomus observat, hoc ago, ut illū à suo removeam officio, & ministerio, sed ut à me instructior doctiorq; recedat.* * ZENAM LEGIS PERITVM ac interpre-

tem, ET APOLLO, (celebrem illum, ejus in actis & priore ad Corinthios mentio, Hieronymus & Chrysostomus intelligunt,) STUDIOSE DEDUCENDOS CVRATO, & viatico juva, NE QVID ILLIS DESIT. * DISCANT AVTEM ETIAM NOSTRI, ne dubites unde peti aut suppeditari viaticum possit, BENE AGENDO PRÆIRI ad necessarios indigorum, præsertim verò doctorum, usus, VT NON SINT FRUCTVS EXPERTES; neque fructus scilicet,

12o

13o

14o


44 TERTIVM CAPVT EPIST. AD TITVM.


licet, quem proferat ipsorum fides: *fructus enim Spiritus caritas & benignitas Galat. 5, 22*; neque fructus sive mercedis, quam Deus beneficentiæ promisit. *Qui enim serit parcè, parcè etiam metet; & qui serit benignè, benignè etiam metet. Nam hilarem datorem diligit Deus, 2 Corinth. 9. v. 6. & 7.* * Tandem Epistolam salutationibus concludit;


15.

SALVTANT TE, QUI MECVM SVNT OMNES, SALVTA EOS, QUI DILIGENT NOS IN FIDE, id est, fideliter, sive propter fidem, quam ministerio nostro prædicamus & asserimus, GRATIA Dei sit CVM OMNIBVS VOBIS, AMEN.

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΔΟΞΑ.









153 155

X2615745

K

VD77





14.


IN EPISTOLA M
SANCTI APOSTOLI PAVLI
AD TITVM
EXPOSITIO LIT=

TERALIS,
IN ACAD. IVLIA, ANNO SVPERIO-
RE, PVBLICE PROPOSITA,
ET NVNC EDITA

à
GEORGIO CALIXTO

S. Theol. D. & Prof. publ.

EDITIO TERTIA.



BRVNSVIGAE.
Typis & sumtibus ANDREÆ DVNCKERI,
ANNO MDLXCVI.

